METHODUS FORMULAS MEDICAS CONSCRIBENDI.

IN USUM

PRÆLECTIONUM ACADEMICARUM

EDIDIT

JO. FRID. CHRIST. PICHLER

M. D. ET COLLEGII MEDICORUM ARGENTORATI SOCIUS.

EDITIO SECUNDA, AUCTA, EMENDATA.

ARGENTORATI

in Bibliopolio AMANDI KŒNIG.

MDCCLXXXIX.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY



PRÆFATIO.

Triennium ſolummodo præteriit, ex quo Methodum formulas medicas conſcribendi *luci publicæ expoſui.*

Adeo benevole cum in orbe literario libellus hicce exciperetur, & in linguam vernaculam verſus impenſis Bibliopolæ Heidelbergenſis prodiret, eoque etiam in prælectionibus Viri clariſſimi uterentur, laborem me non plane inutilem ſuſcepiſſe perſuaſus ſum. Id quod etiam Bibliopolam,

ex cujus bibliopolio libellus prodiit eo adduxit, ut de nova ejus editione conſilia mecum agitaret.

En benevole Lector, rationes quæ me ad novam editionem, quam reviſam, auctam, emendatam reperies, commoverint.

Exempla formularum, quæ præceptis ſubjunxi; clariſſimorum virorum nominibus decorata non inveniuntur: ſunt enim omnes, in his pagellis occurentes formulæ, mihimetipſi, in praxi familiares; exceptis paucis, quas non magnifacio, & aſteriſco inſigniri curavi.



INDEX.

Præfatio

Procemium pag. 3

Signa pharmaceutica medicamentorum 12

Abbreviationes in formulis conſuetæ 14

Præcepta generalia, in præſcriptione medicamentorum obſervanda 15

De Pulveribus 19

De Aſpergine 27

De Sternutatorio 28

De Pulvere dentifricio 29

De Epithemate ſicco ibid.

De Pilulis 31

De Trochiſcis 40

INDEX.

De ſuffitu ſolido	pag. 42
De Morſulis	44
De Rotulis	46
De Emplaſtris atque Ceratis	47
De Suppoſitoriis & Peſſariis	51
De Bolis	54
De Electuario	56
De Eclegmatis	61
De Unguentis	64
De Balſamo	67
De Linimentis	69
De Mixturis	71
De Julapio	ibid.
De Mixtura media	73
De Mixturis concentratis	76
De Solutionibus	78
De Emulſionibus	82
De Emulſione ſpuria	ibid.

INDEX.

De Infuſionibus pag. 86

De Decoctis 94

De Injectione 99

De Gargariſmate 101

De Clyſmate 103

De Succis expreſſis 106

De Epithematis fluidis 108

De Collyrio 111

De Balneo ibid.

De Cataplaſmate 115

De Sinapiſmo 118

Ex Officina Lorenzii & Schuleri, Direct. Nob. Typogr.

METHODUS
FORMULAS MEDICAS
CONSCRIBENDI.



PROŒMIUM.

§. 1.

Formula vocatur medicis ea conſignatio, qua pharmacopœo materiem, menſuram & formam cujuſque rei adſumendæ atque exhibendæ indicamus. Illa autem medicinæ pars, quæ præcepta hujus conſignationis tradit, *methodus* audit *conſcribendi formulas, das Formulare.*

§. 2.

Ingredientia formulis ſuppeditat materies medica. *Formam* atque *pondus*, diverſæ, tam in ægro, quam in materie ſelecta, obviæ conditiones determinant. *Finis* eſt legitima præparatio atque applicatio illius auxilii, quo ſcopum ſuum impetrare conatur medicus.

§. 3.

Sunt vero quæcunque *formulæ* aut *officinales* aut *magiſtrales*. Illæ in officinis pharma-

ceuticis in uſum futurum paratæ aſſervantur; hæ vero ex tempore, pro natura morbi, nec non pro conditione ægri parantur; hac ex ratione *extemporaneæ* quoque appellantur. De his præcipue hic agetur.

§. 4.

Quicunque formulas tales ſcribere vult,

1) illum *therapiæ* tam *generalis* quam *ſpecialis* præceptis ſatis imbutum eſſe oportet, ut bene intelligat, an, quid, quo tempore ac ordine, qua menſura &c. ægro aliquid propinandum atque applicandum ſit.
2) *Materiam medicam* perſpectam habeat; quoniam illa ingredientia formulis ſubminiſtrat. Tandem
3) *pharmaciam* atque *chemiam* ut calleat neceſſe eſt; quæ operandi modos, atque effectus docent.

§. 5.

Requiruntur ad formulæ conſtructionem

a) *modus nominum*, ſub quo intelligitur forma, quam in præſcriptionibus medici ſequuntur,
b) *qualitas* & *ordo* earum rerum, quæ poſtulantur,
c) *menſurarum* & *doſis* cognitio, atque
d) *habitus externus*.

§. 6.

Modus nominum ſub ſe comprehendit

1. *Præpoſitionem* i. e. mandatum ad pharmacopœum in prima linea expreſſum, ut at-

tendat, quid faciendum ſit, e. g. Rec. vel ℞. i. e. recipe quæ ſequuntur.

2. *Deſignationem materiæ*, i. e. collocationem ingredientium, quæ & qualia eſſe debeant, qua quantitate ac forma &c. Hæc præcipua pars eſt formulæ, atque notandum eſt, *quantitatem materiæ* duplicem eſſe; *generalem*, quæ integram formulam complectitur; *ſpecialem*, cuique ingredienti propriam, vel pluribus communem.

3. *Subſcriptionem* i. e. viam & rationem medicamenti miſcendi, præparandi, atque exhibendi.

4. *Signaturam* i. e. expoſitionem quantitatis, temporis & vehiculi, quo adſumi medicamentum debet, vitæ regiminis, quod ſequi res circumſtantes jubent.

EXEMPLA.

℞. Pulveris rhei electi
flav. cort. aurant. ſingulor. gr. quindecim.
Tartari vitriolati drachmam ſemis.

Miſceantur. Dentur tales Doſes N°. ſex, ad chartas diſtinctas.

Signetur. Sumat æger pulverem matutino tempore & ante cubitum, ſuperbibendo infuſum theiforme florum millefolii.

℞. Florum millefolii Unciam unam.
Incidentur. Dentur ad chartam.

Signetur. Quartam partem totius cum aquæ fontanæ bullientis libra una theæ ad inſtar infundendam, atque ſaccharo edulcoratam, bibendam eſſe.

Hæc ultima eſt *formula ſimplex* i. e. ex unico ingredienti conſtans, illa vero ad *formulas compoſitas* i. e. plurimis ingredientibus conflatas, pertinet.

Præpoſitio in priori exemplo eſt ℞., Pulv. rhei el. flav. cort aurantiorum ana grana quindecim. Tartar. vitriolati drachmam ſemis — deſignatio materiæ; ad ſubſcriptionem pertinet M. D. tales Doſes No. ſex ad chartas diſtinctas; atque ad ſignaturam cetera.

In ultimo exemplo de imperativo Recipe id, quod in-præcedenti dictum, valet; deſignationem materiæ exhibent verba ſequentia: florum millefolii unciam unam; ſubſcriptio conſiſtit his in verbis: Inciſæ dentur ad chartam; reliquum ad ſignaturam ſpectat.

§. 7.

Sequitur *qualitas* & *ordo* earum rerum, quæ ad formulam bene conſcriptam requiruntur. Sunt vero hoc ex genere *baſis*, *adjuvans*, *corrigens* atque *conſtituens*.

§. 8.

Baſis i. e. princeps medicamenti pars, a qua morbi abactionem expectat medicus, in omni formula præſens, vel ſola vel in ſocietate aliorum ingredientium, fere ſemper primum collocatur. Hic adnotandum

1) præſtare medicamentum, quod *baſi ſimplici* i. e. uno ingrediente conſtat, quam quod *compoſita* i. e. pluribus: quia hac via facillime ejus vis & poteſtas cernitur.

2) Tunc opus eſſe baſi compoſita, ſi plura ſimul miſta efficacius præſtabunt, quod intendimus.
3) Vitandas eſſe miſturas, quæ natura ſua a ſe invicem abhorrent; quæ vel miſceri inter ſe nequeunt, vel miſta alienas ſortiuntur vires.

§. 9.

Altera formulæ pars eſt *adjuvans* i. e. quod cum baſi perfecte planeque conſpirat, atque efficit, ut illa certe citius indicationi ſatisfaciat. Ejus ergo haud perpetua in omni formula neceſſitas.

Triplex vero modus eſt, quo baſin adjuvamus:

a) vim ejus directe intendendo, i. e. baſi infirmæ vel majori demum mole efficaci aliud efficacius addendo, quod actionem baſis promovet, cum hæc effectui deſiderato ſola impar eſt.

℞. Pulver. rhei el. ſcrupulos duos — baſis
jalappæ grana quindecim — adjuvans.

℞. Pulv. rhei el. drachmam ſemis — baſis.
Trochiſc. alhandal. grana tria — adjuvans.

M.

b) materiem, in quam agere, & vias, quas permeare debet, ita diſponendo, ut minus reſiſtant e. g. laxanti, dum materies eliminanda difficulter mobilis eſt, incidens, attenuans quoddam additur; ſi, propter ſpaſmos, laxans effectum edere nequit,

antiſpaſmodicum ei adjungitur. Si vero metus, ne baſis humoribus vitioſis alteretur atque enervetur, tunc adjicitur aliquid humorum depravatum corrigens.

℞. Pulv. rhei el. drachmam unam — baſis.
Tartari ſolubilis drachmas duas — adjuvans.

M.

℞. Pulv. rhei el. ſcrupulos duos — baſis.
Sulph. antimonii aurati ultimæ præcipitationis grana duo — adjuvans.

M.

℞. Reſinæ jalappæ nucl. pin. trit. grana decem — baſis.
Sapon. officinalis — — — adjuvans.
extracti centaurii min. ſingul. dr. ſem. — adjuvans.
f. l. a. cum pulveris rhei ſufficiente quantitate pilulæ &c.

Exempla hæc tria ad eum ſcopum faciunt, ubi materies propter tenacitatem, ſpiſſitudinem, baſi reſiſtit. Si vero ſpaſmi materiæ peccantis eliminationi obſtant, tunc antiſpaſmodica leniora, raro fortiora, laxantibus admiſcentur, v. c. potioni vel pulveri laxanti aliquot guttas olei deſtillati aniſi, corticum aurantiorum, corticum citri, menthæ, vel liquoris anodyni mineralis Hoffmanni, ſpiritus nitri dulcis &c. addi curamus. Si tandem metus adeſt, ne humores depravati baſin alterent, tunc depravatum humorem corrigens quoddam ſimul cum baſi ingerendum eſt, e. g. medicamentum, cui baſis ſapo officinalis, dum in ventriculum, qui acido laborat, inge-

ritur, decomponitur; ſal alcali oleoſam partem relinquit atque cum acido humore connubium init, ſalem efficiens neutrum: opus itaque eſt, ut abſorbens vel alcalinum ſaponi addatur.

c) Baſis actionem, certum ad locum dirigendo v. c. mercurium additamento purgantium determinamus ad alvum, qui natura ſua potius in glandulas ſalivales operatur.

§. 10.

Tertia formulæ pars eſt *corrigens* i. e. quod vel noxiam aliorum ingredientium qualitatem minuit, illibatis tamen, quæ ad ſcopum faciunt, viribus; vel injucundum eorum ſaporem aut odorem lenit, e. g. reſinoſa atque pinguia, inquilinis corporis noſtri humoribus plane non ſolubilia; hinc viſcerum parietibus tenaciter adhærentia, tormina excitantia, cum ſaponaceo quodam, ut proxenetæ vice fungatur, v. c. cum ſaccharo, ovi vitello, ſapone officinali, ſale alcalino, vel nucleis trita &c. præſcribuntur: ſyrupi guſtui inſuavibus, atque olea deſtillata ſuaveolentia laxantibus adduntur.

℞. Reſinæ jalappæ grana decem — baſis.
Saponis officinalis — — — corrigens.
Extr. cent. min. ſingulorum drachm. ſemis.
cum ſufficiente quantitate pulveris rhei el. f. pilul. &c.

℞. Mannæ calabrinæ unc. unam & ſemis — pars baſis.
Tartari ſolubilis unciam ſemis — pars baſis.

Solve in aquæ fontanæ unciis quatuor.
Colaturæ adde
Elæoſacchari citri drachm. unam — corrigens.
Detur ad Vitrum.

Ex dictis colligitur

1. abeſſe debere corrigens, ubi non adeſt, quod correctioni egeat.
2. Non corrigi poſſe quantitatem, ſed qualitatem. Illud enim minuendo doſin facile conſequemur, hoc vero, uti §° præcedenti dictum.
3. Correctionem nominandam non eſſe, quæ ſimul cum incommodo virtutem demit.
4. Solam formulæ ſpeciem, remedio aut ægro accommodatam, ſæpiſſime correctionis loco eſſe. Sic graveolentia, fœtida e. g. aſa fœtida, camphora, caſtoreum in pilulari forma præſcribuntur.

§. 11.

Quarta formulæ pars eſt *conſtituens*, cujus acceſſione aliis ingredientibus, baſi, adjuvanti, corrigenti, ea forma conciliatur, quam ex medici propoſito habere debent, v. c. pulveres cum extracto vel mucilagine rediguntur in pilulas, cum ſyrupis in electuarium. Notandum hic

1) conſtituente non opus eſſe, ſi reliqua formulæ ingredientia per ſe in deſideratam formam redigi poſſunt.
2) Conſtituens, ſi quod una adjuvans & corrigens eſt, præferendum eſſe reliquis, in quibus hæc deſunt.

3) Conſtituens viribus ceterorum ingredientium non oppoſitum, eisque miſcibile, eligendum eſſe.

§. 12.

In his formulæ medicinalis partibus *proportio mutua* debet obſervari. Efficitur hoc

1. dum baſis, licet non ſemper quantitate, at vi tamen reliqua ingredientia ſuperat.
2. Dum adjuvans aut conſtituens baſis vim multum adauget, tunc quantitas baſis pro rata imminuenda, ne medicamentum juſto efficacius emergat.
3. Dum corrigens ea in quantitate adjicitur, qua vim baſis enervare nequit.
4. Dum conſtituens ea in quantitate, quæ ſufficit ad formam deſideratam efficiendam, præſcribitur. Quum vero non ſemper certum ſit, quanta copia ad hanc vel illam ſpeciem formæ opus, hinc pharmacopœo committitur determinatio; id quod, ſi pharmacopola artis ſuæ peritus, atque conſtituens magna vi medicamentoſa non pollet, ſine periculo facere poteſt.

§. 13.

Pondera & menſuræ, quibus in officinis pharmaceuticis utimur, a vulgaribus, quæ ab medicis in uſum non vocantur, multum diſcrepant. En tabulam ponderum & menſurarum medicinalium!

Menſura habet libras quatuor.

Libra ℔. habet uncias duodecim, pro fluidis; uncias ſedecim pro ſolidis.

Uncia ℥ habet drachmas octo.

Drachma ʒ habet ſcrupulos tres vel grana ſexaginta. Pariſiis ſeptuaginta duo.

Scrupulus ℈ habet grana viginti. Pariſiis viginti quatuor.

Granum gr. æquare dicitur albi piperis granum; atque in fluidis *guttam* æquat.

Menſuræ ſolidorum.

Faſciculus (Faſc.) i. e. quantum brachio complicato capi poteſt.

Manipulus (M.) i. e. quantum tota manu complecti poſſumus; idque æſtimatur pugillis quatuor.

Pugillus (P.) i. eſt. quantum manus digitorum apicibus comprehendere poſſumus.

Sed cum hæc menſurandi ratio non ſatis accurata & fallax ſit, melius loco manipuli uncia dimidia, & pugilli loco drachma præſcribitur.

Quamvis in præſcriptione formularum determinatio per lancem manipulari atque cochleari ſemper præferenda, tamen in ſignatura fere impoſſibilis eſt; hinc quoque notandum:

Cyathum atque *vaſculum* circiter uncias duas;
Cochlear circiter ſemunciam;
Parvulum cochlear drachmam pondere æquare.

Signa pharmaceutica Medicamentorum.

✛ Acidum vel Acetum.
✠ Acetum deſtillatum.

🜁	Aër.
⊕	Aerugo ſeu Aëris viride.
O	Alumen.
♁	Antimonium.
🜄	Aqua.
🜅	Aqua fortis.
🜆	Aqua regia.
☾	Argentum.
☉	Aurum.
🜞	Calx viva.
Lap.♋	Cancrorum lapides.
🜓	Cinnabris.
♀	Cuprum.
🝯	Dies.
🝯🝰	Dies & nox.
♂	Ferrum ſeu Mars.
GX.	Gummi ammoniacum.
△	Ignis.
☿	Mercurius.
☿🝪	Mercurius præcipitatus.
☿♎	Mercurius ſublimatus.
⦶	Nitrum.
🝆	Oleum.
♄	Plumbum ſeu Saturnus.
🝫	Pulvis.
ff.	Saccharum.
⊖	Sal.
⊖X	Sal ammoniacum.
⊖△le	Sal volatile.
🝬	Spiritus.
S. V.	Spiritus vini.
♃	Stannum.
🜍	Sulphur.

🜿	Tartarus.
🜃	Terra.
℞	Tinctura.
🜖	Vitriolum.
⋈	Vitrum.
⊡	Urina.

Abbreviationes in formulis conſuetæ.

Add. ſeu adde.
aa. — — ana.
B. — — Balneum.
B. M. — Balneum mariæ.
C. C. — Cornu cervi.
c. c. — conciſa contuſa.
coq. — coque.
Col. — Colatura.
D. — — Detur.
f. — — fiat.
fl. — — flores.
fict. — — fictile.
gt. — — gutta.
hb. — — herba.
inf. — — infundatur.
l. a. — lege artis.
M. — — Manipulus, Menſura, Miſce.
MP. — Maſſa pilularum.
m. f. — miſce fiat.
N^ro^. — Numerus.
Ol. p. del. — Oleum per deliquium.
p. æq. — partes æquales.
*pp*t. — — præparatum.
q. ſ. — quantum ſatis.

q. pl. — quantum placet.
q. v. — quantum vis.
rad. — — radix.
℞. — — Recipe.
ſc. — — ſcatula.
ſ. a. — — ſecundum artem.
S. — — ſignetur.

§. 14.

Præcepta generalia, ſine quibus medici nec tuto atque feliciter præſcribere remedia, nec doſin eorum determinare queunt, hæc ſunt

1) ut medicus ad morbi naturam, cauſas, ſymptomata, vehementiam &c. doſin accommodet.

2) Ut ad vires vitæ reſpiciat; nam majori doſi opus eſt, ubi illæ languent, minori ubi exſuperant.

3) Ut ætatem conſideret; nam quæ infanti ſatis eſt quantitas, ea non item adulto eſt. In hoc experientia optima magiſtra.

4) Ut ægrotorum temperamenti, ſexus, ſingularis diſpoſitionis, quam idioſyncraſiam nominant, conſuetudinis, vitæ generis, anni temporis &c. rationem habeat.

5) Ut medicamenta inutilia, inefficacia, effœta, obſoleta nunquam, & quæ facile corrumpuntur magna in quantitate non præſcribantur v. c. emulſiones; e contrario, medicamenta quæ in chronicis morbis ad-

hibentur, vel peregre mittuntur, magna doſi præſcribenda ſunt.

6) Ut ſaporem vel odorem non negligat v. c. loco decocti vegetabilium amarorum extracta amara pilulari forma propinantur, atque graveolentia, caſtoreum, camphora, galbanum, aſa fætida quoque ſub hac forma præſcribuntur.

7) Ut applicationem ſpectet e. g. pro fomentatione, pro enemate, major requiritur quantitas, quam pro potione interna.

8) Ut pretium rerum medicinalium noſcat. Nam medicamentum carius pro pauperibus nunquam petendum eſt, ſi æque efficax viliori pretio proſtat.

9) Ut caveat, ne medicamentum dare jubeat, quod ab officinis, ubi praxin facit, abeſt; ut caveat porro, ne medicamentum ſub recentiore quodam nomine v. c. Linnæi, excepto eo caſu, ubi planta ipſa nova eſt, præſcribat: nomina dudum cognita ſi retineantur, errores præcaventur.

10) Ut medicamenta heroica tunc demum deſideret, ſi leniora ſpem fruſtrantur.

11) Ne ingredientia in eadem formula inconſulto miſceantur, quæ natura ſua contraria e. g. acida & alcalina, acidi ſpiritus cum emulſionibus &c.

12) Nec congerat in unam eandemque formulam plura, quæ licet nomine, atque

præ-

præparatione, diſcrepantia prorſus tamen ejuſdem ſunt naturæ & efficaciæ v. c. Cinnabarin antimonii, cinnabarin factitiam; Sal centaurii minoris, cardui benedicti, arcanum duplicatum, tartarum vitriolatum; Tartarum ſolubilem, atque tartariſatum, &c.

13) Ut ſimplicitati ſtudeat i. e. ceteris paribus nativa arte paratis, ſimplicia compoſitis &c. præferat.

14) Ut medicamenta ægri accommodet guſtui, quod ad formam attinet, ſi exinde virtus non perit.

15) Ut medicamenta, quorum præparatio difficultates multas, vel pericula habet, aut ipſe præparet, nec pharmacopœo, niſi perito ac probo, unquam committat; ſaltem non prius, quam rite examinaverit, exhibeat.

16) Ut in morbo urgenti promptiſſime parabilia exhibeat, ne occaſio præceps ſubterfugiat, aut pharmacopola feſtinando peccet.

17) Ut ordine quodam naturali ingredientia præſcribantur, ſic, ut primum quodque ſuam lineam habeat, deinde quæ ejuſdem generis ſunt ſe excipiant., e. gr. radix radicem, herba herbam, tandem quæ idem pondus habent, præpoſito nomine generali inſigniantur.

Alius ordo eſt, dum baſis primum tenet locum, alterum adjuvans, corrigens tertium, atque proſtremum conſtituens. Adhuc alius, dum eodem ordine ingredientia præſcribuntur, quem pharmacopœus in miſcendo ſequi deberet; hic vero præcedentibus difficilior.

18) Ut variæ variorum tam ſimplicium, quam compoſitorum conſiſtentiæ gnarus ſit; ne formam alienam, aut menſuram impropriam, præſcribat.

19) Ut formulas officinales, ſi eas adhibere cupit, cognitas habeat, quænam ingredientia ſint, unde conflatæ fuerint. Nam ſi hoc non perſpectum habet, regulas præcedentes obſervare nequit.

20) Ne medicamentum levi ex cauſa mutet, vel ſymptomata ſola, neglecta cauſa morbi, aggrediatur.

21) Ut formulam ſemper atramento, nunquam plumbagine, niſi coactus neceſſitate rerum, ſcribat; ingredientia ipſa, eorumque pondera non ſignis, chemiæ cultoribus uſitatis, ſed litteris bene pictis exprimat; nam facillime errori ſigna poſſunt anſam præbere.

22) Ut ſignaturam idiomate ægroto vel adſtantibus vernaculo conſcribat. Tandem

23) Ut nomen ægroti ſignaturæ quoque ſubjungat; atque ultimo.

24) Ut nullam formulam ad pharmacopœum mittat, niſi prævia, attento cum animo, relectione, ne quid temere fiat, ne quid obliviſcatur.

§. 15.

Hactenus de regulis generalioribus, quæ ſemper, quoad id potis eſt, debent obſervari, ſequuntur nunc ſpecialiora præcepta. De ſolidorum medicamentorum formulis primo loco, poſtea de fluidorum,regulas ſumus tradituri.

§. 16.

Omnes *formulæ* ſunt vel *internæ* vel *externæ*. *Internæ* vocantur, quæ medicamenta ori deglutienda; *externæ* vero audiunt, quæ medicamenta, vel extrinſecus admovenda, vel variis corporis partibus alio quocunque modo immittenda, præſcribunt.

DE PULVERIBUS.

§. 17.

Pulvis eſt medicamentum ſiccum, particulis minimis, non cohærentibus, conſtans.

§. 18.

Tenuitatis gradu dividitur in

1. *ſubtiliſſimum*, qui etiam *alcohol*, *pollis* aut *pollen*, atque circa ſubſtantias duras lapideaspue *præparatum* audit; v. c. Lap. cancrorum præparati, Conchæ præparatæ.

2. *Mediæ ſubtilitatis*, qui ſimplici pulveris nomine venit.

3. *Rudiorem* i. e. craſſioribus particulis conſtantem; barbare *pulvis groſſus* dicitur, & non niſi in præſcriptione formularum externarum obvenit.

§. 19.

Denominatio pulveris variat, prout ad hanc vel illam corporis partem applicatur. Si ſuperficiei corporis inſpergitur, *aſpergo*, *paſma*, *diapaſma*, *catapaſma*, *ſympaſma* dicitur; ſi capiti ſuperimponitur *cucupha*, & *cucullus;* ſi fronti, *frontale*; ſi ſtomachi regioni, *ſcutum ſtomachicum:* Si naribus attrahitur, *errhinum* ſ. *ſternutatorium;* ſi ad dentes expurgandos inſervire debet, *dentifricium*: tandem ſi ſindone incluſus applicatur, *ſacculus*, *pulvinar*, *lectulus;* ſi vero ad uſum internum ex aromatibus quoad maximam partem conſtat, & larga ſacchari quantitas ei admixta eſt, *tragea*, *tragema*, *drageta*, vocatur.

§. 20.

Materiem pulveri præbet, quidquid, vel ex ſe, vel ſub aliorum mixtione, in formam ſiccam, pulverulentam, redigi poteſt.

§. 21.

Regulæ in præſcribendo pulvere obſervandæ, hæ ſunt:

1) ſi ad uſum internum deſtinetur ſemper *ſubtiliſſimus* ſ. *Alcohol* eſt adhibendus. Id quod etiam obſervandum, in præſcribendo pulvere externo, ſi dentes inde fricari, vel ſi naribus attrahi, vel exulceratæ parti inſpergi debet.

2) Ad pulveris interni formam minus commodæ ſunt ſubſtantiæ, quæ, vel adfuſo quodam liquore multum intumeſcunt, vel non niſi magna doſi effectum præſtant: Tunc enim infuſio vel decoctio præferenda.

3) Neque idonea ad hanc formam ſunt, quæ, vel ſub aſſumtione per ſalivam aut vehiculum diſſoluta, facile lenteſcunt v. c. gummata ſtricte ſic dicta, vel conglutinantur e. g. gummata reſinoſa. Idem valet de iis quæ odoratu aut guſtatu gravia, acria, volatilia: nauſeabunda ſunt enim ſub hac forma, & partes conſtitutivæ volatiles in auras facile diſperguntur; his ex rationibus forma pilulari propinanda ſunt.

4) Si vel liquida v. c. olea deſtillata; vel ſpiſſa, e. gr. extracta, compoſitionem pulveris ingredi debent, tunc quantitas ſufficiens ſiccorum interponenda, ne coëant.

5) Subſtantiæ, oleo expreſſo ſcatentes, v. c. ſemina, ad hanc formam haud aptæ ſunt: ineſt enim illis non magna virtus; & ſi illas præſcribendi animus eſt, non niſi cum aliis aridioribus ſubactæ exhibendæ, atque ſemper ex tempore parandæ ſunt, quia per moram facillime rancorem contrahunt.

6) In morbis difficili deglutitione comitatis, e. gr. angina, hyſtericarum acceſſione, ſyncope, catarrho ſuffocativo &c. pulveris forma non idonea eſt; tunc præſtabilior forma liquida.

7) Doſis pulveris interni eſt a ſcrupulo ad drachmam, rariſſime ultra aſcenditur: ſatius eſt, repetere identidem, quam quantitatem nimis augere.

8) Non raro pondere non determinato præſcribitur doſis, v. c. ad cochleare, cultri apicem &c. ſi vero exactiſſime ad pondus definita requiritur, pharmacopœi potius induſtriæ diviſio eſt committenda, ut hic pulverem in ſuas doſes jam diſtributum exhibeat.

9) Si doſis efficacis volumen longe minus eſt commoda doſi pulveris, idoneo conſtituente intermixto apta moles procuretur e. gr. opiatis, emeticis, &c. ne in via deglutitionis adhæreſcant.

10) Jubemus per *ſubſcriptionem*

a) *Modum præparationis* v. c. *M. F. Pulvis ſubtiliſſimus*, ſi uſui interno dicatur; *groſſus* ſi ad externum uſum deſtinatur. Si vero in deſignatione ingredientium pulverulenta jam præſcripſimus, tunc ponitur. *M. exactiſſime.*

b) *Repetitionem* aut *partitionem maſſæ*, in tot partes, quot in animo eſt, vel quot quantitas generalis poſtulat. e. gr. *M. F.*

Pulvis pro Doſi, Dentur tales N°. ſex. aut *Miſce exactiſſime. Dividatur in ſex partes æquales.*

c) *Receptaculum*, quo pulvis ægro mittitur, idque fit rariſſime *vitro*, ſi qua admiſta ſunt volatilia, vel *chartulis*, ſi pulvis in ſuas doſes jam diviſus eſt, vel *ſcatula*, ſi doſis ægro vel adſtantibus dimetienda committitur.

11) In *Signatura* docemus

a) *quantitatem doſeos*, v. c. *una vice ſumenda*, aut *parvulum cochlear ſumendum*, aut *capiatur una doſis* &c. ſi diviſæ jam ad ægrum mittuntur.

b) *Tempus aſſumendi*, v. c. *matutino atque veſpertino tempore*, vel *omni bihorio.*

c) *Vehiculum*, quo ſumi debet, e. gr. *cum aqua*, *cum vino* &c. ab omni pingui vehiculo abſtinendum eſt; vires enim remedii ſæpe obtundit.

EXEMPLA FORMULARUM.

De his atque omnibus ſubſequentibus formularum exemplis notandum, ſemper pro adulto, reſpectu ætatis, intelligendam eſſe doſin.

℞. Pulveris radicis Ipecacuanhæ ſcrupulum unum.

Detur ad chartam. S. pro una doſi.

℞. Cort. peruv. el. alcoholiſati drachmam ſemis.
D. pro doſi. Dentur tales Doſes N°. duodecim, ad chartulas diſtinctas.
S. omni hora apyrexiæ tempore doſin ſumendam eſſe.

℞. Kerm. miner. grana ſex.
Nitri depurati drachmas duas.
M. exact. divid. in duodecim partes æquales.
D. ad totid. chartul. diſtinct.
S. Capiatur una doſis omni bihorio.

℞. Cryſtall. Tartari drachmam unam.
Pulveris Scillæ præp. grana tria.
Olei deſtillati fœniculi guttam unam.
M. F. P. pro doſi. D. tales doſes N°. ſex.
S. ſumat æger doſin mane & ante cubitum.

℞. Salis eſſentialis acidi Tartari unciam ſemis.
Tartari emetici grana duo.
terendo miſceantur exactiſſime. Divid. in octo p. æquales. D. ad totid. chart. diſt.
S. Capiatur pulvis omni bihorio cum vitro aquæ mineralis acidulæ.

℞. Limaturæ martis alcoholiſatæ unciam ſemis.
Pulveris ſtomachici Birkmanni unciam unam.
M. D. ad Scatulam.
S. Pulvis, de quo quantum parvulo cochleari attolli poteſt, quater de die, capiatur.

℞. Pulveris rad. Jalappæ.
Cryſtall. tartari ſingulorum drachmam ſemis.

Ol. deſtillati fœniculi guttam unam.
M. D. ad chart.
S. Pulvis, jejuno ventriculo, cum aqua, pro doſi
ſumendus.

℞. Pulveris rhei electi.
flavedinum cort. aurant. ſing. gr. decem.
Tartari vitriolati ſcrupulum unum.
M. F. Pulv. pro Doſi. D. tales N°. ſex.
S. Sumat æger tres doſes de die.

℞. Pulveris ſtomachici Birkmanni.
Arcani duplicati ſingulorum drachmam ſemis.
Sulphuris antimonii aur. ultimæ præc. gr. duo.
M. exact. D. tales Doſ. N°. ſex ad. totid. ch. diſt.
S. ter de die doſis ſumenda.

℞. Pulv. rad. filicis.
rhei el.
ſem. cynæ.
helmintochorti ſingulor. drachm. unam.
M. Divid. in vj. p. æq. D. ad totid. chart. diſt.
S. Capiatur doſis quovis trihorio.

℞. Cryſtall. tartari unciam dimidiam.
Magneſiæ albæ.
Florum ſulphuris.
Pulveris flor. chamomillæ.
rhei electi ſingulor. drachmas duas.
M. F. Pulvis. divid. in duodecim partes æquales.
D. S. Capiat æger quater de die pulverem.

℞. Magneſiæ albæ.
Pulveris flav. cort. aurant.
ſem. aniſi ſingulor. drachmas duas.
ſtomachici Birkm. drachm. ſex.
M. D. ad Scatulam.
S. Capiat æger quater de die cochleare dimidium.

℞. Camphoræ grana quatuor.
Nitri depurati.
Sacchari albi aa. ſcrupulum unum.
M. exact. F. P. D. tales Doſ. N°. duodecim.
S. Sumat æger pulverem omni bihorio cum limonada.

℞. Cort. peruv. el. alcoh. unciam dimidiam.
Salis ammoniaci depurat.
Pulveris fl. chamomill. ſingulor. drachm. duas.
cinamomi drachmam unicam.
M. Divid. in novem partes æquales D. ad tot. chart. diſt.
S. Sumat æger omni bihorio pulverem cum vino.

℞. Extr. cort. peruv.
myrrhæ aquoſi ſingulor. drachmas duas.
Sacchar. lactis unciam unam ſemis.
Diu terendo M. exacte. Pulv. D. ad Scatulam.
S. Capiat æger quater de die quantum parvulo cochleari attolli poteſt.

℞. Pulv. flor. arnicæ dr. ſex.
Extr. myrrh. aq. drachm. tres.
Pulv. ſquill. præp. dr. unam.
M. f. pulv. D. ad Scatul. S. uti præcedens.

* ℞. Aluminis crudi.
Gummi maſtich. ſingulorum unc. ſemis.
Miſceantur ſupra carbones candentes cochleari ferreo, bene mixta ab igne removeantur atque triturationis ope rediguntur in pulverem: cui adde
Coſti dulc. pulveriſ. drachmas duas.
M. F. P. divid. in octo partes æquales.
D. ad totid. ch. diſt.
S. Sumat æger omni hora doſin, ſuperbibendo uncias ſex vel octo decocti oryzæ.

* ℞. Concharum præparatarum.
Antimonii diaphor. non. edulc.
Pulveris gentianæ radic.
Arcani duplicati ſingulor. drachm. duas.
M. Divid. in duodecim part. æq. D. ad. ch. diſt.
S. Capiatur doſis omni bihorio.

§. 22.

Præcedentia exempla ad pulveres internos quadrant. Nunc de externis; de his notandum, quod groſſo modo in uſum trahantur, exceptis pulveribus dentifriciis, ptarmicis atque aſpergine, quorum compoſitio ab illa pulverum internorum non deflectit.

§. 23.

Pulvis *adſpergini* dicatus, debet eſſe ſubtiliſſimus; inſpergitur enim fere ſemper locis ſenſibilibus atque denudatis.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Sacchari albiſſimi unciam ſemis.
Aluminis uſti drachmam ſemis.
M. F. P. ſubtiliſſ. D. ad Scatulam.
S. de hoc pulvere inſpergatur bis de die in oculum quantum cultri apice attolli poteſt.

℞. Myrrhæ el.
Maſtich.
Magneſiæ albæ ſingulor. drachmas duas.
M. F. P. ſubtiliſſ. D. ad Scatulam.
S. locis denudatis aliquoties de die inſpergendum.

℞. Seminis lycopodii unciam unam.
Lapid. calaminar. præp. unciam ſemis.
M. D. ad Scatulam.
S. Cum goſſypio locis dēnudatis applicandum.

§. 24.

Materiem pulveri ptarmico ſ. *ſternutatorio* præbent plantæ aromaticæ atque acres. Proſtant jam pulveres ptarmici in officinis, & rariſſime ex tempore parantur.

EXEMPLUM FORMULÆ.

℞. Herbæ aſari cum radice.
majoranæ ſingulor. drachmas duas.
Florum lavendulæ.
Rad. ireos florent. ſingul. drachm. unam.
M. F. Pulvis ſubtiliſſimus D. ad Scatulam.

S. Pulvis ſternutatorius, de quo aliquoties de die per nares attrahendum, uſque dum effectum edat.

§. 25.

In præſcriptione *pulveris dentifricii* adhuc notandum, quod

1) ſubtiliſſimus requiratur.

2) Acria atque duriora ei non apta ſint, quia dentes arrodunt.

EXEMPLUM FORMULÆ.

℞. Pulveris herbæ Salviæ unciam ſemis.
radic. ireos flor. drachm. duas.
herbæ. nicotianæ.
myrrhæ electæ ſingulor. drachm. unam.
Ol. deſt. caryophylorum guttas octo.
M. F. P. ſubtiliſſ. D. ad Scatulam.
S. Pulvis ad dentes expurgendos.

§. 26.

Ad pulveres externos *epithema ſiccum*, frequenter ſub *Specierum* denominatione veniens, pertinet; de quo hæc ſingularia notanda.

1. Materiem regnum vegetabile ei ſuppeditat; & ingredientia in rudiorem ſolummodo pulverem rediguntur, ne ſacculo incluſus pulvis per interſtitia texturæ effugiat, atque poros, quibus ſuperimponitur, obſtruat.

2. Subſtantias penetrabiles, e. gr. herbas atque flores odoriferos eligendos eſſe, quoniam in exhalationibus maxima eorum vis quærenda eſt.

3. Adhibentur hi pulveres ſicci vel humectati, id quod in ſignatura notandum.

4. Quantitas diverſa eſt, modo major, modo minor, pro ratione loci, cui applicatur. Præſcribitur fere ſemper talis quantitas, qualis ad duos ſacculos adimplendos ſufficit, ut unum poſſit calefieri, dum alter adhuc parti adfectæ admovetur.

5. Sacculi non debent infarciri, ſed laxe ſaltem repleri, ut ſat ſequaces & molles ſint.

6. Sacculi debent interſui, quod barbare *interpaſſare* vocant; ne pulvis incluſus conglomeretur, aut verſus unum locum coacervetur.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Florum chamomillæ vulg.
ſambuci ſingulorum uncias tres.
Camphoræ pulveriſatæ drachm. duas.
M. F. P. groſſus. D. ad chartam.
S. Sacculis ſindone paratis includendum atque parti adfectæ admovendum.

℞. Herbæ menthæ.
Florum chamomillæ.
Bacc. juniperi.
lauri.

Sem. cumini. -
carvi. ſing. Unc. ſemis.
Caryophyllorum. -
Nuc. moſch. ſing. drachm. duas.
M. F. pulvis groſſus. D. ad chartam.
S. Species ad pulvinare ſtomachicum.

℞. Herbæ origani.
menthæ.
Florum chamomillæ.
lavendulæ ſingulor. unc. unam.
Inc. contuſ. M. F. Pulv. groſſus D. ad chartam.
Inſuantur hæ ſpecies binis ſacculis ſericis, interpaſſentur, atque coquantur, vaſe clauſo, per aliquot momenta in vini rubri ſufficiente quantitate, & calidæ admoveantur parti adfectæ.

§. 27.

DE PILULIS.

Pilulæ ſive *Catapotia* ſunt medicamentum internum, ſolidum, partibus cohærentibus conſtans, ſphæricæ figuræ, piſi ut plurimum magnitudine, ideoque facile deglutiendum.

§. 28.

Ad hanc formam apta ſunt

1. quæcunque ſicca, tenacia & arcte cohærentia v. c. gummi reſinæ, reſinæ, ſucci inſpiſſati, extracta, ſapones. Iſthæc facile in pilulas efformari poſſunt. modo piſtillo

calido tractentur, aut tantillo idonei cujuſdam liquidi miſceantur.

2. Omnes pulveres herbarum, radicum, corticum, modo parva doſi efficaces ſint: Ubi contrarium obtinet, vel eorum extracta præſcribuntur, vel dantur ſub forma pulveris, electuarii, infuſionis, decoctionis.

3. Medicamenta generoſiora, v. c. mercurius dulcis, ac ſublimatus, kermes mineralis, ſulphur antimonii; nec non ſapore vel odore gravi moleſta e. g. Aſa fœtida, Caſtoreum, Moſchus & ſimilia. Contra

4. ſub hac forma raro præſcribuntur pulveres majori demum mole efficaces, rarius ſalia volatilia, rariſſime balſama, oleoſa, v. c. balſamus copayvæ, balſamum peruvianum, oleum nuciſtæ expreſſum; atque nunquam ſalia in deliquium prona.

§. 29.

In præſcribendis pilulis

1. videndum eſt, qualis ſit excipiendorum natura & conſiſtentia; quæ ſi per ſe in hanc formam redigi poſſunt, excipienti ſ. conſtituenti non opus habent. Si vero ſicca atque pulverulenta ſub hac forma exhiberi animus eſt, glutine quodam, e. gr. mucilagine tragacanthi vel ſyrupo hoc efficiendum. Si contra excipienda juſto liquidiora ſunt, pulverulentum quoddam adjiciendum eſt.

2. Eligen-

2. Eligendum eſt conſtituens ſ. excipiens, cujus natura cum ingredientibus quadrat v. c. reſinæ, gummi reſinæ, extracta reſinoſa, cum ſpirituoſo; extracta gummoſa, pulverulenta, cum glutine aquoſo v. c. ſyrupo præſcribi debent.

3. Adhibendum eſt id glutinum genus, quod vires medicamenti ampliet. Impetramus hunc ſcopum dum pulverulentis extractum ex eadem planta, ſi proſtat in officinis, vel aliud eadem vi inſtructum, vinculi loco adjicimus.

4. Sunt, qui præcedentem regulam, de omni conſtituenti, dictam eſſe volunt e. gr. ſi pilulæ ſanguinem depurantes, ex ſapone officinali, gummi guajaci, extracto fumariæ, pulvere rhei atque ſulphure aurato antimonii præſcribuntur, pro conſtituenti tincturam antimonii vel eſſentiam lignorum eligendam eſſe jubent; ſed ſine ſufficiente ratione: aliquot guttulæ, quæ ad maſſam efficiendam requiruntur, quomodo poſſint vires ingredientium augere non video! Spiritus vini eorum loco præſcribendus.

5. Medulla panis cibarii pro conſtituenti, mihi ſaltem, non placet; perfecta ejus mixtio cum excipiendis, quæ fere ſemper generoſiſſima e. g. mercurius ſublimatus, extractum aconiti, ſunt, atque diviſio multis premitur difficultatibus.

6. Occurrunt in praxi ægrotantes, quibus pilularum forma arridet, & quæ medica-

menta aliis ſub formis reſpuunt; eorum in gratia pulveres tenues, non niſi magna doſi efficaces, ſub hac forma quoque exhiberi poſſunt: ſed tunc optime pulvis gummi tragacanthæ cum ſyrupo quodam, viribus pulveris adpropriato, in mucilaginem redactus, vinculi loco adjicitur.

7. Magnitudo pilularum ne grana quatuor excedat! ne grani unius minor ſit!

8. Ne conglutinentur pulvere quodam, e. gr. ſemine lycopodii, pulvere glycyrrhizæ, conſpergendæ ſunt. Pharmacopœus hæc jam per ſe obſervat; ſi alium pulverem recipi volumus, determinandum eſt in ſubſcriptione.

9. Pilulæ, quæ ex tenacibus, inquilinis corporis noſtri humoribus difficulter ſolubilibus, ingredientibus conflatæ ſunt, non debent magna quantitate præſcribi; cum diutius aſſervatæ areſcant nimis, & non diſſolutæ exeant ex ano.

10. Nec infantibus, nec ægrotis difficulter deglutientibus, aut quibus hæc forma diſplicet, neque ubi prompto auxilio opus eſt, pilulæ ſunt præſcribendæ.

11. In *doſi* ratio habenda ingredientium quibus pilulæ conſtant, atque præfixi ſcopi.

12. In *ſubſcriptione* legitur M. F. Pilulæ, ſi pro una doſi, vel ſaltem pro aliquibus præſcriptæ fuere, numero determinantur v. c. M. F. Pilulæ N°. quindecim: ſi vero quæ-

dam quantitas ſimul præſcripta fuit, quanti ponderis quælibet exigatur pilula, e. gr. M. F. Pilulæ pondere granorum trium. *Involucri* quoque fit mentio, an deaurandæ aut foliis argenti obducendæ *, vel pulvere cinnamomi aut cinnabari conſpergendæ ſint. *Receptaculum* ſemper ſcatulam eſſe oportet.

* Moris quidem eſt, ut pilulæ obducantur foliis auri vel argenti; ſed certe non convenit, cum hæc obductio vim medicamenti non adjuvet, & diſſolutionem pilularum impediat, ita ut haud raro aſſumtæ, ventriculo non ſolutæ, per alvum eliminentur integræ.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Reſinæ Jalappæ nucl. pin. trit. grana octo.
Mercurii dulcis r. parati grana quatuor.
Saponis officinalis.
Extr. centaurii minoris ſing. ſcrup. unum.
M. F. l. a. Pilulæ N°. quindecim conſp. pulvere cinnamomi D. ad Scatulam.
S. pro una doſi, jejuno ventriculo.

℞. Mercurii dulcis rite parati.
Sulphuris antim. aur. ultimæ præc. ſingulorum grana quindecim.
Gummi guajaci.
Extr. fumariæ ſingulor. drachm. unam & ſemis.
M. exactiſſ. F. l. a. c. ſ. q. Spiritus vini pilul. pondere granorum duorum. D. ad Scatulam.
S. Sumat æger quatuor matutino tempore & totidem ante cubitum, ſuperbibendo decoctum guajaci.

℞. Extr. cort. peruv.
myrrhæ aquoſi.
abſynthii ſingulorum drachm. duas.
hellebori nigri.
Extr. aloës gummoſi.
Pulv. croci ſingulorum drachm. unam.
M. F. l. a. M. Pilularum ex qua formentur pilulæ granorum trium, conſperg. pulvere glycyrrhizæ D. S. Capiantur octo ter de die.

℞. Extr. chin. chinæ.
valerianæ.
Aſæ fœtidæ ſingulorum drachm. duas.
Caſtorei.
Moſchi ſingulorum drachm. unam.
M. f. c. ſufficiente quantitate pulveris radic. valerianæ pilulæ pondere granorum trium, conſpergentur cinnamomi pulvere. Sig. decem quovis trihorio.

℞. Limaturæ martis alcoholiſatæ unc. ſemis.
Pulveris rhei el.
Extr. cent. min. ſingul. drachm. duas.
aloës gummoſi ſcrupulum unum.
M. F. c. Syrupi cujusdam. ſ. q. pilul. pond. granorum trium. D. S. octo vel decem bis de die.

℞. Saponis officinalis unciam ſemis.
Gummi ammoniaci.
Extr. fumariæ ſingulorum drachm. duas.
aloës aquoſi drachm. ſemis.
Pulveris rhei electi drachm. unam ſemis.

M. f. c. ſ. quantitate ſpiritus vini pilul. gr. trium.
S. Capiat æger ter de die decem.

℞. Extr. chamomillæ.
cort. peruv.
Pulveris ſerpentar. virg.
Camphoræ ſingulorum drachm. unam.
Croci drachmam dimidiam.
M. f. l. a. Pilulæ granorum duorum conſperg. pulvere cinnamomi D. ad Scatul.
S. omni bihorio capiantur octo vel decem.

℞. Extr. dulcamaræ unc. unam.
Gumm. guajac. drachm. tres.
Sulph. aur. antim. ult. præc. drachm. ſemis.
f. l. a. pilul. gr. iv. D. S. Capiantur ſeptem matutino tempore & ante cubitum, ſuperbibendo decoctum ſtip. dulcamaræ.

℞. Pulveris rhei electi ſcrup. duos.
jalappæ ſcrupulum unum.
Ol. deſtill. fœniculi guttas duas.
Extracti centaurii min. q. ſufficientem.
M. f. l. a. pilul. N°. viginti D. S. decem ante cubitum & reliqua ſequenti mane.

℞. Cort. peruv. el. alcoh. unciam ſemis.
Extr. ejusd. drachmas duas.
Syr. ejusd. quantitatem ſufficientem.
M. f. l. a. pilulæ pondere granorum trium.
S. omni bihorio decem.

℞. Vitrioli martis factitii drachm. duas.
Extr. gentianæ unc. ſemis.
Pulv. quaſſiæ q. ſ.
F. l. a. pilul. gr. iv. D. ad ſcatul.
S. bis terve de die quinque ad ſeptem.

℞. Gummi ammoniaci puri.
Pulveris rhei el.
Fellis bovis inſp. ſing. dr. duas.
Extr. aloës aquoſi.
hellebori nigri ſing. dr. unam.
M. F. l. a. c. ſ. q. extr. cent. minoris pilul. granorum trium D. ad ſc.
S. Capiantur ſeptem vel octo matutino tempore & ante cubitum.

℞. Cort. peruv. rubr. el. alcoholiſati drachm. ſex.
Camphoræ drachm. ſemis.
Cum mucilagine gummi tragacanthæ ſ. pilulæ pondere granorum quatuor D. S. Quavis hora decem pilulas.

* ℞. Terebinth. coctæ.
Balſami copayvæ.
Saponis officinalis.
Extr. cent. min. ſingulor. drachm. duas.
M. f. c. ſ. q. catechu pilulæ granor. quatuor conſp. pulvere cinnamomi.
S. Sumat æger decem ter de die.

℞. Gummi guttæ nucl. p. trit.
Reſin jalappæ n. p. trit. ſing. dr. ſemis.

Mercurii dulc. r. par.
Sulph. antim. ult. tert. præc. ſing. gr. quindec.
Gummi ammoniaci puri.
Extr. gentianæ. ſing. dr. duas.
Pulveris ſquillæ dr. unam.

Exacte commixta cogantur c. ſ. q Spir. vini in maſſam, ex qua formentur pilulæ gr. quatuor.

S. Sumat æger decem ante cubitum & totidem matutino tempore.

℞. Mercurii ſublimati corroſ. grana decem.
Salis ammoniaci depurati drachm. ſemis.
Aq. deſtillatæ drachm. unam ſemis.

In mortario lapideo conterantur donec ſolventur.

Deinde admiſce paulatim.
Pulv. gummi arabici drachm. duas.
rad. althææ unc. ſemis.

Cogantur in maſſam, ex qua fiant pilul. gr. trium D. ad Scatul. S. Capiantur octo matutino & veſpertino tempore, ſuperbibendo decoctum hordei cum lacte.



§. 30.

DE TROCHISCIS.

Trochiſci ſ. *Paſtilli* ſunt, ſi maſſam ſpectes, pilulæ orbicularis figuræ. Dantur uſui interno dicati; dantur quoque, qui ad uſum externum inſerviunt: De his atque de illis compoſitiones in officinis ad uſum futurum jam proſtant, hinc rariſſime ex tempore præſcribuntur.

§. 31.

Si trochiſcos internos ex tempore parari jubemus, obſervandum venit, quod inſtar eclegmatis, ſenſim in ore diſſoluti, deglutiantur: hinc

1) omnia, quæ ad eorum compoſitionem recipiuntur, guſtui debent eſſe grata.

2) *Excipienda* ſunt pulveres, ut plurimum ſemen aniſi, fœniculi, rad. ireos, rad. glycyrrhizæ, ſuccus liquiritiæ, quibus ſemper magna quantitas ſacchari admiſcetur; &

3) mucilago gummi tragacanthæ optimum eſt *excipiens*, atque omnibus aliis poſſumus carere.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Sacchari albi pulveriſ. uncias ſex.
Pulveris ſucci liquiritiæ unciam unam.
ſeminis aniſi.
fœniculi.
radic. ireos flor. ſing. unc. ſemis.

M. f. c. ſ. q. mucil. gummi tragacanthæ aqua roſarum paratæ l. a. trochiſci.

℞. Nitri depurati.
Salis acetoſellæ ſingulorum unc. unam.
Sacchari albi uncias octo.
M. F. Pulvis atque c. ſ. q. mucil. gummi tragac. f. l. a. Trochiſci.

§. 32.

Neque *trochiſci externi* ex tempore præſcribuntur. Inſerviunt plerumque, ut fumo grato cubicula impleant.

Ad horum confectionem accommodata ſunt, quæque ſicca, inflammabilia, volatilia, reſinæ, gummi reſinæ ſuaveolentes, ſtyrax, olibanum, ladanum, maſtiches, benzoes, balſami nativi, moſchus, ambra, ſuccinum, ſaccharum, aromata v. c. cinnamomum, caryophylli, atque olea deſtillata.

§. 33.

Si plures ex his cum mucilagine gummi tragacanthæ in maſſam rediguntur, atque pilulæ orbiculares inde formantur, *trochiſci fumales* audiunt; nam prunis impoſiti odorem fragrantem ſpargunt.

§. 34.

Si vero gummi lacca in tabulis leni igne liquefiat, atque certa quantitas horum pulve-

rum admiſceatur, & maſſa inde ſurgens in baccillos efformetur, vocatur *Maſſa ad fornacem*; quia fornaci calefacto illita gratum cubiculis odorem conciliat.

§. 35.

Tandem ſi his pulveribus certa quantitas pulveris carbonum admiſcetur, atque mucilaginis tragacanthæ ope in maſſam rediguntur, ex qua pyramides tripedales formentur, *Candelæ fumales* nuncupantur.

§. 36.

Liceat hic verba facere de pulvere fumali; eſt enim, uti trochiſci fumales, maſſa ad fornacem, atque candelæ fumales, *ſuffitus ſolidus*. Improprie pulvis vocatur; potius ſpecies dici meretur: conſtat ex gummi reſinis atque floribus ſuaveolentibus e. g. roſarum, lavendulæ, in fruſtula conciſis atque contuſis. Uſus idem ac trochiſcorum.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Pulveris gummi benzoes.
olibani.
ſtyracis.
maſtichis aa. unc. unam.
Styracis liquidæ unciam dimidiam.
Sacchari albi pulv. uncias quatuor.
Olei deſt. de cedro.
ligni rhodii aa. guttas duodecim.
M. f. c. ſ. q. mucilag. tragacanthæ l. a. *trochiſci fumales.*

℞. Gummi laccæ in tabulis uncias tres.
Pulveris gummi benzoes.
ladani.
maſtichis aa. unc. unam.
Balſ. peruv. nigri drachm. unam.
Olei ſtillatitii ligni rhodii.
caryophyllor. aa. ſcrup. unum.
M. f. l. a. *Maſſa ad fornacem.*

℞. Pulveris carbonum ſubtiliſſ. unc. ſex.
olibani.
benzoes.
ſuccini.
maſtichis aa. unciam ſemis.
ſacchari unciam unam.
Styracis liquidæ drachmas ſex.
M. f. c. ſ. q. mucil. gummi tragacanthæ maſſa; ex qua formentur *candelæ fumales.*

℞. Succini.
Gummi benzoes.
ladani.
ſtoracis.
maſtichis ſingulorum unciam unam.
Florum lavendulæ.
roſarum ruberr.
Ligni juniperi aa. drachmas duas.
Inciſæ contuſæ fruſtulatim f. *Pulvis fumalis.*

DE MORSULIS.

§. 37.

Morſuli, *Morſelli*, ſeu *Tabulæ* ſunt medicamentum internum quadrato-oblongæ ut plurimum figuræ, paratum ex pulveribus, nucleis, conditis, ſaccharo ſoluto & ad juſtam conſiſtentiam cocto, exceptis, ſuperque tabulam ligneam effuſis, ut conſolidentur. Vocantur quibusdam *Electuarium ſolidum*, ſed improprie.

§. 38.

Materies in *excipiendum* atque *excipiens* dividi poteſt.

Excipienda ſunt

1) omnes pulveres, qui ad electuarium recipi poſſunt.

2) Nuclei e. g. amygdalæ, nuces piſtaciæ. Metus abeſt, ne rancorem contrahant; quia ſaccharum eis pro condimento.

3) Condita v. c. conditum corticum aurantiorum, carnis citri, citri corticum.

Excipiens ſemper eſt ſaccharum, aqua roſarum vel fontana ſolutum, & ad conſiſtentiam tabulandi coctum.

§. 39.

Proſtant in officinis morſuli ſtomachici ſ. Imperatoris, morſuli antimoniales Kunckelii

atque morſuli ſtrumales: utimur his, & rariſſime ex tempore præſcribuntur alii. Si aliquoties, notandum eſt:

1) quum in morſulis cum ſoliditate fragilitas i. e. cohæſio non lenteſcens requiritur, hinc ſemper ſacchari ſextuplum aut octuplum ratione excipiendorum ſumi, atque pulveres nunquam cum ſaccharo coqui; nam tenacitatem ei inducerent. Porro

2) quum deliquium in ore, aut manducationem, uſus exigat, hinc nauſeoſa excludi debere, facile intelligitur. Tandem

3) generoſiora, quin & ſpecifice graviora, quum ſatis exacte æquabiliterque miſceri minime valeant, hinc excludenda eſſe, ratio ſuadet.

4) Doſis pro varia ingredientium vi & proportione variat.

5) Pondus cujusvis tabulæ quibusdam in ſubſcriptione determinatur, ſed ſine fructu: eſt enim morſulorum diviſio ſecundum pondus fere impoſſibilis, atque propter minorem efficaciam ingredientium haud neceſſaria.

EXEMPLUM FORMULÆ.

* ℞. Magneſiæ albæ drachmas ſex.
Pulveris cinnamomi drachm. unam.
Amygd. excortic. in taleol. diſſ.
Conditi aurant. in quadrata fruſtula diſſecti ſingulor. unc. unam.
Sacchari albi uncias octo.

Saccharum aqua roſarum ſolve, ad conſiſtentiam tabulandi coque, tunc adde reliqua, atque effunde ſuper tabulam ligneam, ad hunc uſum aptam, poſt refrigerium ſcinduntur in conſuetam formam.

DE ROTULIS.

§. 40.

Rotula eſt medicamentum internum, ſolidum, vel ex pulvere & triplo aut quadruplo ſacchari, vel ex ſaccharo, ſucco quodam horæo, in orbiculos convexos, ſupra lapidem marmoreum vel laminam effuſo, confectum.

§. 41.

Præſcribuntur fere nunquam magiſtraliter. In officinis proſtant rotulæ berberum, rotulæ contra vermes: apud dulciarios plures venduntur compoſitiones.

§. 42.

In rotularum confectione ſunt

excipienda ſucci horæi, pulveres tenues, non lenteſcentes, atque olea deſtillata; hæc quidem cum virtutis diſpendio.

excipiens, ſaccharum; quod liquore non diſſolvi, neque cum illo coqui, ſed ſolummodo liquefieri debet.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Sacchari alb. pulv. uncias quatuor.
Aq. roſar. q. ſ.

Liq. caloris ope admiſce
Pulv. ſem. cynæ drachm. duas.
cinnamomi drachm. ſemis.
f. l. a. rotulæ contra vermes.

℞. Sacchari albiſſimi pulveriſati uncias duas.
aquæ menthæ piper. q. ſ.
ut ſaccharum ad liquationem ſupra leniſſimum ignem abſque aduſtionis metu calefieri poſſit.
Saccharo caloris ope liquato admiſce
Olei menthæ piper. guttas duodecim.
atque ſupra laminam in orbiculos effunde.

DE EMPLASTRIS ATQUE CERATIS.

§. 43.

Emplaſtrum eſt medicamentum externum, in frigore ſolidum, in calore liqueſcens, ductile, glutinoſa & pingui materia paratum, quod, ſuper linteum vel alutam extenſum, varios in uſus corporis partibus imponitur.

§. 44.

In præſcriptione emplaſtrorum notandum, quod

1) *Excipienda* ſint præcipue, vel pulveres metallici aut vegetabiles v. c. ceruſſa, minium, lithargyrium, pulvis herbæ meliloti, cicutæ, radicum tormentillæ, florum chamomillæ &c. vel ſucci natura aut arte inſpiſſati e. g. gummata, extracta &c.

2) *excipiens* ſit oleoſum, pingue quoddam v. c. oleum, axungia, butyrum, ſevum, cera, terebinthina.

3) in emplaſtro laudetur

a) conſiſtentia aëre temperato ſicca, digitos non inquinans.

b) ductilitas ſequax in leni colore, atque

c) tenacitas, ut vehiculo & parti facile adhæreſcat; tandem

d) mixtio ingredientium homogenea.

4) proportio mutua ingredientium non poſſit definiri: variat enim in infinitum, & quandoque non, niſi ſub ipſa præparatione, poteſt determinari. Sufficit adnotare, quod

a) fere in omnibus emplaſtris calx quædam metallica, in oleo ſoluta, principem obtineat locum.

b) quo plus emplaſtrum adglutinans deſideretur, eo major quantitas ceræ, terebinthinæ, reſinæ, gummatum, ad compoſitionem ſit recipienda.

c) ſucci expreſſi, vel mucilagines, cum oleo atque calce metallica ſint coquenda uſque ad aquæ conſumtionem, ſi emplaſtrum ingredi debent.

d) ſi pulveres vegetabilium adduntur, emplaſtrum minus adglutinans obtineatur.

e) mercurius vivus, ſi præſcribitur, terebinthina prius ſit figendus, id quod *extinguere* nominant. Gummi reſinæ autem terebinthina ſunt ſolvendæ, per linteum colandæ, & non niſi emplaſtro fere refrigerato addendæ. Ultimum quoque de camphora, balſamo ſulphuris, aliisque volatilibus valet, quæ, ſi antequam maſſa aliquomodo refrixerit adderentur, in auras avolarent, & nullum præſtarent effectum.

f) emplaſtrum mollioris conſiſtentiæ, ad cujus compoſitionem neque pulveres vegetabilium, neque mineralium, vel ſaltem minima quantitate, reſpectu excipientium, ſumuntur, ſub nomine *Cerati* veniat. Cui,

g) ſi linteum ei fuit intinctum & utrinque obductum, nomen *Sparadrapi*, *Spannadrapi*, *telæ emplaſticæ* detur.

h) Telam hanc emplaſticam, rotundo-oblonge convolutam, *Cereolum*, gallice *Bougie*, vocant.

ſ) *Ordo* poſtulet, ut prius ea, quæ coqui debent e. g. oleoſa, calces metallorum, ſucci expreſſi, mucilagines ponantur; tunc quæ colliquari v. c. reſina, cera, terebinthina, ſapo; tandem quæ maſſæ ab igne remotæ addi debent e. g. pulveres vegetabilium, gummata, volatilia, v. c. camphora, pulvis cantharidum, olea ætherea.

Plura addere poſſem, ſed, ut mihi videtur, hæc ſufficiunt. Proſtant enim in officinis pharmaceuticis plurima emplaſtra, quæ medici indicationi ſatisfaciunt, ideoque ridiculum eſſet nova præſcribere: ſi vero aliqua portio emplaſtri cum portione alterius miſcenda; vel certæ quantitati emplaſtri novum ingrediens, interventu idonei excipientis, ſi requiritur, addi præſcribimus, tunc *malaxare* vocatur.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Olei olivarum uncias duodecim.
Minii uncias ſex.
M. atque coque, addendo ſenſim ſenſimque aceti uncias quatuor, uſque ad perfectam calcis diſſolutionem, tunc adde
Ceræ flavæ uncias duas.
Fere refrigeratis
Camphoræ in pauxillo olei ſolutæ dr. duas.
M. F. Empl. Servetur ad uſum.

℞. Lithargyrii ſubtiliſſ. trit. uncias decem.
Olei olivarum uncias octodecim.
coque leni igne, ſpatula lignea continue agitando, & aquam calidam ſubinde inſtillando, poſt perfectam calcis diſſolutionem, amove ab igne atque admiſce
Gummi ammoniaci.
galbani ſingulorum unc. duas.
in Terebinthinæ unciis quatuor ſolutas.
M. F. Empl. formentur inde magdaleones.

℞. Empl. Tacamahacæ unc. ſemis.
Gummi galbani drachm. duas.
Eſſ. caſtorei drachm. unam.
Pulveris caſtorei drachm. ſemis.

Empl. leni igne liquefiat, tunc ab igne remoto addatur gummi pulveriſatum atque eſſentia caſtorei mixtum, tandem admiſcetur quoque pulvis caſtorei atque fiat inde emplaſtrum. Ducatur ſuper alutam orbiculatam.

S. Admoveatur umbilicali regioni.

℞. Empl. de cumino.
baccis lauri aa. unciam ſemis.
malaxando additur
Olei nuciſtæ expreſſi drachmam unam.
Balſami peruviani.
Camphoræ aa. drachmam ſemis.
F. Empl. Ducatur ſuper aluta ſcutiformi.
S. regioni ventriculi applicandum.

DE SUPPOSITORIIS ET PESSARIIS.

§. 45.

Suppoſitorium, *glans ſubdititia*, *nodulus inteſtinalis* eſt medicamentum externum, ſolidum, attamen non nimis durum, oblongum, conicum, quod ano inſeritur, ad languentem motum periſtalticum reſuſcitandum, aliosve in uſus.

§. 46.

Rariſſime, vel potius nunquam magiſtraliter præſcribuntur; in officinis proſtant jam parata

in globuli forma, ſub nomine *Globulorum moſchatorum* vel *ſchardinorum;* ſæpiſſime domi ex ſale communi, cum duplo melle, coctis ad juſtam duritiem, vel ex ſapone in coniformam figurato, vel ex fruſtulo candelæ domeſticæ, vel fruſtulo lardi, aliisve rebus parantur.

EXEMPLUM FORMULÆ.

* ℞. Sapon. ven. dr. unam.
Sacchari
Fell. tauri inſp. ſing. dr. dimidiam.
Gummi euphorbii gr. decem.
M. f. l. a. ſuppoſitoria duo, conſp. pulvere radicis pyrethri. D. ad ſcatulam.

§. 47.

Peſſarium eſt ſpecies ſuppoſitorii, dicitur quoque *balanus*, *peſſus*, *nodulus* atque *ſuppoſitorium uteri.* Immittitur vaginæ muliebri varios in uſus; hodiernis temporibus obſolevit, & recte quidem.

DE BOLO.

§. 48.

Bolus eſt medicamentum internum molle, cohærens, melle paulo ſpiſſius, ea magnitudine, qua bucca commode excipi poteſt, unde & *Buccella* audit.

§. 49.

Princeps boli pars eſt *excipiendum;* id quod fere ſemper pulverulentum, ſiccum, perexigua copia efficax, & additione mollioris cujusdam materiæ in deſideratam formam redigendum.

§. 50.

Altera ejus pars eſt *excipiens*, utplurimum conſervæ, rob, ſyrupi, quorum miniſterio apta cohæſio atque mollities excipiendo procuretur.

§. 51.

Ex his colligitur

1. materiem bolo præbere, quidquid interno uſui aptum, vel ex ſe, vel aliorum permixtione, conſiſtentiæ dictæ capax eſt.
2. hanc formam eligendam eſſe pro pulveribus vel minima doſi efficacibus v. c. kermes mineralis, mercurius dulcis, limatura martis &c. vel odore ac ſapore moleſtis e. g. caſtoreum, moſchus, camphora &c.
3. minus apta ad hanc formam eſſe
   - a. viſcida, nam eorum miſcela cum aliis ingredientibus perdifficilis eſt.
   - b. quæ facile deliqueſcunt v. c. ſalia alcalina fixa atque volatilia, terebinthinacea &c. quia cito liqueſcendo formam boli mutarent.

c. quæ mora multum indureſcunt e. g. gummata reſinoſa, maſtiches, olibanum, ſuccinum &c.

4. pro excipienti ſemper medicamentum gratum, vel minus nauſeoſum & quod parva doſi non efficax, recipiendum eſſe.

§. 52.

Doſis boli drachmam ne excedat, ut commode ſine ulla maſticatione, & ſine præfocationis metu, deglutiri poſſit. Ubi vero ingredientium doſis efficax hos limites excedit, ſatius eſt plures bolos pro una doſi ægro ordinare.

Ordo in præſcribendo bolo eſt, ut primum baſis id eſt *excipiendum* ponatur, alterum locum occupet adjuvans aut corrigens, ſi eis opus eſt, poſtremum conſtituens ſ. *excipiens*, cujus quantitas non raro pharmacopœo relinquitur determinanda.

§. 53.

Conſpergendi ſunt boli pulvere quodam, ne conglutinentur. Si medicus in ſubſcriptione pulverem non determinat, pharmacopolæ ſemen lycopodii aut pulverem glyzyrrhizæ ſumunt.

In morbis difficili deglutitione ſtipatis medicamenta ſub hac forma præſcribenda non eſſe, unicuique ex ſe patebit.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Mercurii dulcis rite parati grana duo.
Magneſiæ albæ grana octo.
Conſervæ roſarum ſcrupulum unum.
M. F. bolus pro doſi. D. tales N°. ſex conſp. pulvere liquiritiæ D. ad Scatul.
S. Capiatur unus matutino tempore, ſuperbibendo decoctum hordei cum lacte.

℞. Rhei el.
extr. cent. minoris ſingul. ſcrup. unum.
Syrupi cichorii c. rheo q. ſ.
ut f. l. a. bolus, conſp. pulvere cinnamomi D. tales N°. quatuor ad Scatul. S. Sumat æger bolum quovis trihorio, ſuperbibendo decoctum oryzæ.

℞. Camphoræ grana decem.
Pulv. rad. ſerpentariæ virg. ſcrup. unum.
Rob. Sambuci q. ſ.
M. F. bolus pro doſi.

℞. Pulveris caſtorei ſcrupulum unum.
Salis volat. cornu cervi grana ſex.
Conſervæ rutæ drachmam ſemis.
M. F. bolus pro doſi.

℞. Reſinæ jalappæ grana octo nucl. pin. tritæ.
Mercurii dulc. r. par. grana ſex.
Conſervæ roſarum drachm. ſemis.
M. f. l. a. bolus pro doſi.

℞. Pulveris rad. valerianæ unc. ſemis.
Extracti ejusdem drachm. duas.
Moſchi.
Camphoræ ſingulorum drachm. unam.
Conſerv. rutæ q. ſ.
ut f. l. a. boli, ſinguli pondere drachmæ unius, conſp. pulvere liquir. D. ad Scatulam.
S. Sumat æger quovis bihorio duo.

* ℞. Terebinthinæ coctæ.
Pulveris rad. tormentillæ.
Catechu.
Extr. caſcarillæ ſingulorum drachmas duas.
Vitrioli martis factitii drachmam unam.
Terebinthinæ venetæ q. ſ.
f. l. a. boli, ſinguli pondere drachmæ dimidiæ. D. ad Scatulam.
S. boli adſtringentes, tres ter de die ſumendi.

DE ELECTUARIO.

§. 54.

Electuarium eſt medicamentum internum, ex pulveribus, extractis, pulpis &c. ſyrupo vel melle exceptis, conſiſtentia conſervæ inſtar, bolo itaque mollius; hinc veluti congeries bolorum liqueſcentium eſt, quæ ex tempore in ſuas diſpenſanda doſes.

§. 55.

Proſtant in officinis pharmaceuticis multæ compoſitiones electuariorum, attamen non

ſemper hac ſub denominatione e. g. Theriaca Andromachi, Confectio de Hyacintho &c. Ex tempore præſcribuntur medicamenta hac ſub forma ſæpiſſime. Bene itaque notandum, quod materiem agnoſcat eandem, quam boli, accedunt ſaltem Conditur æ atque Salia, utpote quæ frequentius ad electuaria recipiuntur. Delectus tamen peculiaria quædam ſibi vindicat.

1) Odore ac ſapore moleſta magis hic vitanda, ob uſum crebriorem: ſi vero animus eſt ea admiſceri, ſpiſſiorem electuario conſiſtentiam conciliamus, ut cum nebula poſſit deglutiri; ſed tunc plane idem, ac ſi bolum præſcripſeris.

2) Pulveribus, qui non niſi magna doſi effectum edunt, hæc adaptata eſt forma. Contra

3) efficaciora & ſpecifice graviora abſint; metuendum enim ne, vel miſtione minus æquabili, vel ſeceſſu per moram, vel minus accurata doſium partitione, quæ hic ægris vel adſtantibus committitur, periculum inferatur. Evitare poſſumus quodammodo hocce periculum

a) electuario ſpiſſiorem conſiſtentiam dando, quum ſpiſſitudo ſeceſſum præpediat.

b) ſolvendo efficaciora, ſi ſolubilia, in liquore adpropriato ante eorum admixtionem; vel ſi pulverulenta, diuturna trituratione atque perfecta miſcela cum excipienti, priusquam reliqua ingredientia adduntur. Hoc modo

4) viſcida quoque ad electuarii formam adaptantur.

5) Deliqueſcentia, ſive fuerint ſalia alcalina fixa, vel volatilia, ſive ſalia media, admittuntur.

6) Terebinthinacea & reſinoſa, nec non pinguia, ſaponaceo ſunt copulanda, præſertim ſi magna quantitate adduntur: parva enim ſub quantitate conſtituens ſ. excipiens eis pro ſaponaceo inſervit.

7) Si pro excipiente materies ſyrupo ſpiſſior v. c. condita, conſervæ, roob, pulpæ, eligitur, tunc aqua quadam deſtillata opus eſt, quum jam per ſe formam electuarii hæcce conſtituentia habeant.

8) *Proportio mutua*, ſecundum ingredientium naturam atque conſiſtentiam variat. Quod conſiſtentiam attinet, excipientis pondus pharmacopœi arbitrio non raro relinquitur. Si determinare cupis, atque pro ſiccorum, pulverulentorum, non deliqueſcentium uncia, ſyrupi uncias tres præſcribis, nunquam falleris; obtinebis tamen modo ſpiſſius, modo mollius electuarium, prouti ingredientia ſpecifice gravia fuerint, nec ne.

§. 56.

Ordo in præſcribendo electuario, uti in bolo; atque ex ſubjunctis exemplis patebit.

Doſis ex ingredientium virtute dimetienda, mole ut plurimum definitur, v. c. ad nucis juglandis, moſchatæ magnitudinem, aut quantum parvulo cochleari, vel cultri apice, attolli poteſt. Si pondere definitur doſis, pharmacopœo in ſubſcriptione jubendum eſt, ut unam doſin charta cerata involutam ad ægrotum mittat, atque in ſignatura notet, ſemper tantum, quantum ſeparate miſſum fuit, una vice ſumendum eſſe.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Cort. peruv. el. alcoh. unciam unam.
Conſervæ roſarum e roſis ſiccis unc. unam ſemis.
Syr. cort. peruv. vinoſi uncias tres.
M. F. elect. D. ad ollam S. quovis bihorio parvulum cochlear.

℞. Limaturæ martis alcoh. unciam ſemis.
Conditi cort. aurantior. uncias tres.
Aq. cinnamomi c. v. q. ſ.
Conditum Aurant inc. atque contunde cum aq. cinnam. in paſtam, poſtea adjice limaturam martis. D. electuar. ad fictile S. quater de die parvulum cochlear.

℞. Cort. peruv. el. alcoh. unciam ſemis.
Salis ammoniaci dep.
Extr. card. benedicti ſingul. drachm. duas.
Conſervæ naſturtii aquatici unc. duas.
Syr. cort. peruv. unc. unam & ſemis.
M. F. l. a. Electuarium.

℞. Limatur. mart. alcoh. unc. ſemis.
Cryſtall. tartari unciam unam.
Extr. rad. graminis.
Mellis deſpumati ſingulor. unc. duas.
Syr. flor. perſicor. q. ſ.
ut. f. elect. D. ad oll. S. omni bihorio parvulum cochlear ſuperbibendo decocti diluentis vaſculum

℞. Pulv. ſem. cynæ.
Helmintochorti ſingulor. drachmas duas.
Jalappæ drahmam unam.
Mercurii dulc. r. p. grana decem.
M. exactiſſ. atque cum ſyr. cichor. c. rh. q. ſ. f. elect. ſpiſſioris conſiſtentiæ S. Sumat æger quovis trihorio magnitudinem nucis moſchatæ cum nebula.

℞. Mannæ calabrin. unc. duas
ſolve in
Aquæ acaciar. unc. duabus.
Colaturæ refrigeratæ admiſce.
Pulv. rhei el. dr. unam.
Flor. ſulphuris unc. dimid.
Ol. deſtill. menthæ gt. quatuor.
D. ad ollam. S. Capiatur parvulum cochlear quater de die.

℞. Spong. uſt. ppt.
Salis ammoniaci dep. ſingulorum drachm. duas.
Pulveris Jalappæ.
Zingiberis ſingulor. drachm. unam.
Cinnamomi drachm. ſemis.

Rob. Juniperi unciam unam.
Syr. cort. aurantior. q. ſ.
M. F. l. a. Elect. d. ad fictile S. Capiatur ter de die parvulum cochlear.

* ℞. Terebinth. venetæ unciam ſemis.
Vitellum unius ovi.
Extr. cort. caſcarillæ.
Pulveris catechu ſingulor. drachm. duas.
rhei el. drachm. unam.
Syr. cydoniorum q. ſ.
M. f. l. a. elect. conſiſt. ſpiſſioris D. ad ollam S. quovis bihorio magnitudinem nucis moſchatæ.

DE ECLEGMATIS SIVE LINCTUBUS.

§. 57.

Eclegma, *Linctus*, arabice *Lohoch*, eſt medicamentum internum, electuario liquidius, craſſioris inſtar ſyrupi lente diffluens, ex mollioribus compoſitum, quod ore detentum, ſenſim liqueſcens, deglutitur.

§. 58.

Ex his facile intelligitur:

1. Ad linctum idonea eſſe tenerrima, facile liqueſcentia, v. c. gelatinæ, olea expreſſa, mucilagines, vitelli ovorum, mel, ſaccharum, ſyrupi &c.
2. Abeſſe debere quæcunque ſicca, vel ſolida, difficulter intermiſcenda; porro efficacio-

ra, acria; tandem quæ ſapore vel odore ingrata.

3. Proportionem ingredientium requiri, ut pulveres, ſi admiſceri debent, non niſi parva ſub quantitate addantur.

4. Non nimia copia præſcribi oportere linctum, quia corruptioni obnoxium; facile enim ranceſcit, fermenteſcit: ex eadem ratione lohoch, quæ in officinis parata proſtant, haud tuti ſunt uſus.

5. Neque doſin, neque tempus, quo ſumi debet, ſcrupuloſe dimetiendum eſſe; per parvula cochlearia, præmiſſa diligentiori, cui ſemper opus, ſubactione nova, præſcribitur.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Olei amygd. rec. expr. unciam unam ſemis.
Vitellum unius ovi.
Mellis narbon.
Syr. violar. ſingulor. unciam unam.
M. l. a. f. Eclegma D. ad fictile.
S. ad lubitum.

℞. Balſami peruv. nigri drachm. unam.
Butyri de Cacao unciam unam.
Vitellum unius ovi.
accurate ſubactis adde
Syr. de eryſimo Lobelii uncias tres.
M. F. Linctus. S. Sumat æger duo parva cochlearia quovis bihorio, prævia nova ſubactione.

℞. Mucilag. Sem. Cydonior. Aqua roſar. par.
Olei amygd. rec. expr. ſingul. unciam unam.
Vitellum unius ovi.
Syr. de alth. Fernelii uncias tres.
Pulver. liquiritiæ.
ireos flor. ſingulorum drachm. unam.
M. f. l. a. Eclegma.

℞. Syr. rubi idæi uncias duas.
Pulveris gummi arabici drachmas duas.
Spiritus vitrioli acidi guttas triginta.
M. F. Linctus.

℞. Sapon. offic. dr. ſemis.
Syr. de manna unc. duas.
M. exacte f. Eclegma. S. parvulum cochlear. quater de die.

℞. Olei amygd. rec. expr. unc. unam.
Vitellum unius ovi.
Pulv. gummi arabici unc. ſemis.
Syr. balſamici uncias tres.
M. l. a. f. Eclegma S. Capiantur duo parva cochlearia quater de die, & ſi tuſſi. importunitas poſtulat, ſæpius.

℞. Pulpæ caſſiæ.
Olei amygdal. r. expr.
Syr. flor. perſicor. ſingulorum unc. duas.
M. exacte. f. Eclegma. D. ad fictile.
S. capiat æger quantum cochleari attolli poteſt quater de die.

DE UNGUENTIS.

§. 59.

Unguentum eſt medicamentum externum, mellis vel axungiæ conſiſtentia, pinguibus maxime paratum, hinc calore liqueſcens, & corpori facile illinendum.

§. 60.

In unguenti præſcriptione obſervanda veniunt

1. materiem in genere eandem eſſe, qualis emplaſtri, nempe
2. pro *excipientibus* ea aſſumi, quæ leniſſimo calore diffluunt, lubrica atque mollia ſunt, v. c. olea expreſſa, ſevum, butyrum &c.
3. ad *excipienda* pertinere, picem, reſinam, terebinthinam, gummi reſinas, ceram, emplaſtra, pulveres tenuiſſimos plantarum atque mineralium, olea ætherea, balſamos nativos.
4. volatilia, e. g. olea ætherea, camphora, demum poſt liquationem addenda eſſe, ne per calorem in auras abigantur.
5. ſuccos expreſſos vel plantas recentes, ſi quæ adduntur, ad conſumtionem humiditatis coctionem poſtulare.
6. Proſtare in officinis unguenta, ſub balſamorum nomine: dare quoque unguentum, quod improprie ſic nominatur; unguentum ægyptia-

ægyptiacum volo, quod melius oxymel æruginis nuncupatur;

7. proportionem mutuam ingredientium, ex indicatione atque excipiendorum conſiſtentia, determinandam eſſe.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Empl. diachyl. ſimpl.
Gummi elemi.
Terebinthinæ ſingulorum unc. unam.
Olei hyperici uncias tres.
leni igne liquefiant; bene mixtis & refrigeratis admiſce
Balſ. peruv. nigri unciam ſemis.
M. F. Unguentum digeſtivum.

℞. Mercurii vivi dep. unciam unam.
Terebinthinæ drachmam unam.
Axungiæ porci uncias duas.
M. exacte diu terendo f. Unguentum neapolitanum.

℞. Unguenti roſacei uncias duas.
Mercurii præcipitati alb. drachm. unam ſemis.
M. F. Unguentum ad ſcabiem.

℞. Unguenti arthanitæ
cardiaci.
Fellis bovis inſp.
Ol. infuſi anethi ſing. unc. ſemis.
deſtill. aniſi gt. decem.

M. exacte. D. ad oll. S. inſerviat pro inunctione abdominis.

℞. Florum ſulphuris unciam ſemis.
Salis ammoniaci puri dr. duas.
Axungiæ porci uncias duas.
Olei deſt. lavendulæ guttas decem.
M. f. Unguentum contra ſcabiem.

℞. Tutiæ præp. drachmas duas.
Lap. hæmatit. præpar. ſcrupulum unum.
Aloës ſuccotrinæ grana decem.
terantur diu ad impalpabilem pulveris ſubtilitatem;
tunc f. cum
Axung viper. ſufficienti quantitate
Ungt. ad maculas corneæ.

℞. Herbæ abſynthii.
chamæpitheos.
ſcordii.
calaminth. vulg.
virgæ aureæ.
ſerpilli.
menthæ.
ſalviæ.
rutæ.
abrotani.
Flor. chamomillæ.
lavendulæ ſingulorum uncias duas.
Butyri libras quatuor.
Olei terebinth.
baccar. juniperi.

Olei lavendulæ ſingulor. uncias duas.
Camphoræ oleo olivar. ſolutæ unciam unam.

Herbæ recentes incid. contund. cum butyro coquantur leniſſimo igne ad humiditatis conſumtionem; unguento prelo expreſſo atque refrigerato adde olea deſtillata atque camphoram. F. Unguentum nervinum.

DE BALSAMO.

§. 61.

Balſamum, vi vocis, eſt medicamentum putredini reſiſtens atque vulnera conſolidans. Sed in officinis pharmaceuticis plura, & diverſa, medicamenta balſamorum ſub nomine proſtant. In nativa & arteficialia commode dividi poſſunt. Nativa hujus non ſunt loci; nec non artefacta, quorum excipiens ſpiritus vini e. g. balſamus vitæ Hoffmanni, balſamus embryonum, balſamus commendatoris: ſed de illo genere, quod inſtar unguenti vel linimenti, ex fragrantibus liquoribus atque pinguedine quadam ſpiſſiori paratur, verba huc ſunt facienda; ſunt enim vera unguenta odorata; quorum

1. *Excipiens* oleum nucis moſchatæ expreſſum: quod, ſi præparationi balſami ſimplicis inſervire debet, odore ſuo, ſpiritus vini ope, privatur.
2. *Excipienda*, olea ætherea, aliave fragrantiſſima ſunt, v. c. moſchus, zibethum, ambra &c.

§. 62.

Oleum nuciſtæ expreſſum, odore atque colore, ſpiritus vini ope, ſpoliatum *corpus pro balſamo* vulgo dicitur; aſt balſamus inde paratus nomen accipit ab oleo æthereo, quod ei admixtum fuit, v. c. dum oleum ſuccini cum corpore pro balſamo miſcetur, audit balſamus ſuccini, ſi oleum cinnamomi fuit adhibitum, balſamum cinnamomi, & ſic porro.

§. 63.

Patet quoque ex præcedentibus, cur unguenta, ad quorum præparationem odorifera, penetrantia, balſamica fuere recepta, ab quibuſdam balſama nuncupantur e. g. ultimum præcedentium exemplorum balſamum nervinum, atque primum balſamum vulnerarium.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Corp. pro balſamo unciam ſemis.
Olei deſtillati caryophyllorum drachm. ſemis.
M. F. balſamum caryophyllorum.

℞. Olei nuc. moſch. expreſſ. unciam unam.
deſtillati rutæ.
origani.
lavendulæ ſing. drachm. unam.
ſuccini drachmam ſemis.
M. f. balſamus hyſtericus.

℞. Olei nuciſtæ expreſſi unciam ſemis.
ſtillatitii cumini.
menthæ.
Balſami peruviani ſingulorum drachm. unam.
M. F. balſamus ſtomachicus.

DE LINIMENTIS.

§. 64.

Linimentum ſive *Litus* ab unguento in eo differt, quod plus olei contineat, ad ſuam compoſitionem ſpirituoſa recipiat, hinc unguento mollius ſit.

Linimentum eſt reſpectu unguenti id, quod eclegma reſpectu electuarii.

§. 65.

Ad præparationem linimenti apta ſunt

1. quæcunque ad unguenta & balſama accommodata diximus; requiritur ſolummodo, mollior ut ſit conſiſtentia. Hac ex ratione
2. olea expreſſa & cocta præſertim, atque
3. ſpirituoſa, volatilia cum oleoſis non raro ad efficiendum linimentum recipiuntur e. g. ſpiritus ſalis ammoniaci, ſpiritus cornu cervi & ſimilia.

In ſubſcriptione jubetur, ſi volatilia ad linimenti compoſitionem fuere præſcripta, & conſiſtentia non obſtat, ut detur ad vitrum: minor fit hoc modo partium volatilium jactu-

ra, & facilior redditur ante uſum nova ſubactio.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Butyri de Cacao.
Balſami peruviani ſingul. drachm. unam.
Olei deſtillati ceræ guttas decem.
M. F. Linimentum D. ad fictile.

℞. Olei olivarum unciam unam ſemis.
Tincturæ cantharidum.
Spiritus cornu cervi ſingulor. unc. ſemis.
M. D. ad Vitrum. S. Linimentum, quod partibus affectis bis de die infricetur, ſemper ante uſum vitrum bene commovendum.

℞. Camphoræ drachmam unam.
Solv. in
Olei olivar. uncia una.
add.
Salis volatilis oleoſi Sylvii unciam ſemis.
M. D. ad Vitrum S. uti præcedens.

℞. Unguenti nervini offic. unciam unam.
Spir. ſalis ammoniaci vol. drachm. duas.
Camphoræ drachm. unam.
M. F. linimentum D. ad ollam veſica bene clauſam. S. Linimentum nervinum.

℞. Olei infuſi menthæ uncias duas.
ſtillatitii menthæ.

Olei ſtillatitii aniſi.
cumini ſingul. guttas decem.
M. D. ad Vitrum S. ſerviat pro ventris inunctione.

DE MIXTURIS.

§. 66.

Mixturæ ſunt medicamenta interna, fluida, ſola variorum inter ſe mixtione parata. Quatuor dantur ſpecies: *Julapia* vocantur dum ſyrupi cum aquis absque pulveribus miſcentur; *Mixturæ* ſtricte ſic dictæ, quas pulveres ingrediuntur & majori doſi atque ſæpius propinantur; *Mixturæ concentratæ*, quæ e validioribus conſtant, & guttatim vel per parvula cochlearia ſumuntur; tandem *Potiones* ſ. *Solutiones*, ab his tribus ſpeciebus diverſæ, uti ſuo loco dicetur.

§. 67.

Julapium, *Julepus* eſt mixturæ ſpecies ſimpliciſſima, dilutiſſima, pellucida, ex colore, ſapore ac odore gratis conflata.

Neceſſe itaque eſt, ut

1. pro *excipiente* ſumatur liquor tenuis, limpidus, non injucundus v. c. aq. fontana, aquæ minerales, aquæ deſtillatæ, e. g. naphæ, roſarum, acaciarum, ceraſorum, rubi idæi, cinnamomi; vel infuſum florum roſarum, papaveris rhœados &c.
2. *excipienda* ſint ſolubilia, & ut excipienti permixta virtutem huic atque gratiam con-

ciliare poſſint, v. c. ſyrupi, præſertim e ſuccis horæis, confectio alkermes, de hyacintho, tincturæ vegetabilium acidæ, ſpiritus fragrantes, ſpiritus acidi dulcificati.

§. 68.

Proportio mutua ingredientium alia eſt ſi julapium loco potus familiaris inſervire, alia ſi per cochlearia ſumi debet. In priori caſu octuplum uſque ad duodecuplum præſcribitur pro excipiente ratione excipiendorum; in poſteriori non ultra triplum aut quadruplum aſcendendum.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Aquæ fontanæ libras duas.
Syrupi rubi idæi uncias tres.
Spiritus vitrioli acidi drachmam unam.
M. F. Julepus S. ad lubitum.

℞. Aquæ florum naphæ uncias tres.
Syrupi capillor. veneris unciam unam.
Liquoris anodyni miner. H. drachm. unam.
M. f. Julapium S. quavis hora cochlearia duo.

℞. Aquæ rubi idæi uncias quatuor.
Tincturæ flor. papav. rhœados unc. duas.
Syrupi ejusdem unciam unam.
Spiritus nitri dulcis drachm. unam.
M. F. Julapium S. quovis bihorio aliquot cochlearia.

℞. Aquæ acaciarum uncias ſex.
Syrupi de eryſ. Lobelii uncias duas.
Spiritus ſalis ammoniaci aniſati drachm. duas.
M. D. S. uti præcedens.

℞. Aquæ rubi idæi uncias quatuor.
Aceti deſtillati.
Oxymellis ſimplicis ſingul. unciam unam.
Salis eſſentialis acidi tartari drachm. unam.
M. f. Julepus D. ad Vitr. S. Capiantur cochlearia duo quovis bihorio.

℞. Infuſi flor. ſambuci unc. octo.
Spir. Minderi unc. unam.
Syr. citri e toto unc. duas.
M. D. S. vaſculum ſemis quovis bihorio.

℞. Aquæ menthæ piper. unc. quatuor.
Liq. cornu cervi ſucc. dr. duas.
anodyni martiati dr. unam.
Syr. cort. aurant. unc. unam.
M. D. S. cochlear quavis hora.

℞. Infuſi roſar. ruberrim. libram unam.
Syr. e roſis ſiccis uncias duas.
Spiritus vitrioli acidi drachmam unam.
M. f. Julap. S. vaſculum quavis hora.

§. 69.

Mixtura media eſt mixturæ ſpecies julapio minus diluta, minus grata, quæ ſub vehiculo idoneo varia pulverulenta continet.

Ex his ſequitur

1. *excipiens* mixturæ mediæ idem eſſe, ac julapii, injucundioribus hic ſaltem non exceptis.

2. pro *excipiendis* inſervire, quæ ad compoſitionem julepi; & his adhuc pulveres, qui reſolvi nequeunt, mixturam hinc turbidam reddunt, accedere.

Exulent tamen pulverulenta ponderoſiora ſimul & generoſiora quæque, ſi in excipiente ſolvi nequeunt, quum citiſſime fundum petant, eoque doſes virtute minus æquales exhibeant.

§. 70.

Proportio frequentiſſima ea eſt, ut unciis tribus excipientis admiſceantur drachma una pulveris atque tres drachmæ ſyrupo. Sed indicationum, guſtuum, aliarumque conditionum varietas tot parere poteſt in caſibus ſingularibus exceptiones, ut ſæpius a modo data generali regula deflectatur.

In ſignatura præter communia in omni formula obſervanda, ſemper nova ſubactio ante uſum mixturæ jubenda eſt.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Pulv. gummi ammoniaci drachmas duas.
Spiritus Mindereri.
Oxymellis ſcillitici ſingulor. unc. unam.
Aquæ deſt. hyſſopi uncias ſex.

M. D. ad Vitrum S. Sumantur quolibet bihorio cochlearia duo prægreſſa nova ſubactione.

℞. Aquæ flor. chamomillæ uncias ſex.
Pulveris antiſpasmod. Stahlii.
Succin. præparati ſingul. drachm. ſemis.
Spiritus cornu cervi.
Liquoris anodyni min. H. ſing. guttas viginti.
Syr. papaveris albi drachmas ſex.
M. D. S. uti præcedens.

℞. Confect. de hyacintho unciam ſemis.
Pulveris croci ſcrupulos duos.
Aquæ rubi idæi uncias quatuor.
theriacalis compoſ. uncias duas.
Syr. diacodii unciam unam.
Liq. anod. min. Hoffm. guttas triginta.
M. D. S. uti præcedens.

℞. Aquæ ceraſor. nigr. uncias octo.
Tartari vitriolati drachm. duas.
Nitri depur. drachm. unam.
Syr. acetoſitatis citri unciam unam.
M. D. ad Vitr. S. quavis hora cochlearia duo prægreſſa nova ſubactione.

* ℞. Aquæ deſtillatæ meliſſæ uncias ſex.
Lap. cancror. præp.
Corall. rubr. præp. ſingul. drachm. unam.
Syr. cort. aurant. drachmas ſex.
M. D. S. cochlearia duo quovis bihorio, prævia concuſſione vitri.

℞. Cort. peruv. el. alcoh. unciam ſemis.
Salis ammoniac. dep. drachm. duas.
Aq. deſt. chamomillæ uncias decem.
Vini albi generoſi uncias ſex.
Syr. chin. chin. vinoſi uncias duas.
M. D. S. vaſculum quovis bihorio, vitrum ante uſum bene commovendum.

§. 71.

Tertia mixturæ ſpecies eſt *mixtura contracta, concentrata, guttæ* quibusdam, minore, quam priores, mole efficax, ex ingredientibus, quorum virtus exiguo ſub volumine latet, conſtans.

§. 72.

Ad mixturæ concentratæ compoſitionem:

1. Non, niſi medicamenta minori mole efficacia adhiberi poſſunt e. g. Tincturæ, eſſentiæ officinales, ſpiritus minerales acidi dulcificati, olea deſtillata, liquores ſalini, extracta &c. Contra
2. vitari debent gummata, electuaria, pulpæ, ſyrupi, pulveres, & aquoſa; niſi ad extractorum ſolutionem neceſſaria ſint.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Spiritus nitri dulcis drachmas duas.
Olei ſtillatitii chamomillæ guttas decem.
M. D. ad Vitrum S. Capiat guttas viginti quater de die, ſuper fruſtulum ſacchari albi.

℞. Liquoris anod. miner. H.
cornu cervi ſuccin. ſingul. drachm duas.
M. D. S. Sumat triginta guttas quovis bihorio cum aqua.

℞. Mixturæ ſimplicis unciam unam.
Camphoræ drachm. unam.
M. D. ad Vitr. S. triginta guttas quater de die.

℞. Extr. cort. caſcarillæ drachm. duas.
ſolve in
Aquæ cinnamomi c. vino uncia una.
ſolutioni adde
Laudani liquidi Sydenh. guttas viginti.
Spiritus nitri dulcis drachmam unam.
M. D. ad Vitr. S. parvulum cochlear quater de die, prævia vitri commotione.

℞. Mixturæ ſimplicis unciam unam.
Extracti panchymagogi Crollii drachm. unam.
Solutio D. ad Vitr. S. Capiantur matutino tempore & ante cubitum ſexaginta guttæ, vitrum ante uſum bene commovendum.

℞. Liquoris terræ fol. tartari.
Elix. aperit. Clauderi ſingul. unciam unam.
M. D. S. Capiatur cochlear matutino tempore & ante cubitum.

§. 73.

Ultima mixturæ ſpecies eſt *Potio* ſ. *Solutio.* Differt illa a prioribus mixturæ ſpeciebus in eo, quod injucunda, julapii ad inſtar, non excludat, nec pulveres uti mixtura media admittat, neque parva in doſi, uti mixtura concentrata, efficax ſit.

§. 74.

Dantur duæ ſpecies ſolutionum.

1. *Potiones laxantes* ſub una ſpecie, atque
2. *Solutiones extractorum*, in majori quantitate excipientis, ſub altera comprehenduntur.

§. 75.

Potiones laxantes, quum fere ſemper una vice ſumantur, hinc, uti omnia alia medicamenta liquida, quæ una doſi ingeruntur, *Hauſtus* vocantur.

Ad eorum præſcriptionem eligitur

1. pro *excipiente*, vel aqua communis vel ſerum lactis;
2. pro *excipiendis*, ſales, manna, pulpæ & ſimilia, atque additur non raro
3. *acceſſorium* i. e. adjuvans vel corrigens.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Mannæ calabrinæ unciam unam ſemis.
Tartari ſolubilis drachmas ſex.

ſolve in aquæ fontanæ unciis tribus colaturæ adde
Elæoſaccharo fœniculi drachm. unam.
D. ad Vitrum S. Hauſtus laxans, matutino tempore ſumendus.

℞. Salis amari cathartici unciam unam.
ſolve in
Aquæ fontanæ unciis tribus.
ſolutioni adde
Syrupi de rhamno unciam unam.
Spiritus nitri dulcis guttas quindecim.
S. Hauſtus laxans, pro doſi.

§. 76.

Ad *ſolutiones extractorum*, quæ non raro ſub nomine *Elixiriorum* veniunt, recipiuntur;

1. pro *excipiente* aqua ſimplex, aquæ ſine vino deſtillatæ, vel vinoſæ atque vinum ipſe, rarius acetum.
2. pro *excipiendis* extracta atque ſalia, &
3. pro *acceſſoriis* ſyrupi, olea ætherea, ſpiritus minerales dulcificati, tincturæ officinales &c.

§. 77.

Proportio mutua requirit, ut ad unam partem excipiendorum, quatuor uſque ad ſex partes excipientis, præſcribantur.

Doſis, ex indicatione atque ingredientium vi determinanda, plerumque ad cochleare unum vel duo propinatur.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Extr. cort. peruv. el. unciam ſemis.
ſolve in
Aquæ menthæ ſ. vino unciis ſex.
ſolutioni adde
Syr. cort. peruv. vinoſi unciam unam.
Liq. anod. m. H. drachmam unam.
M. D. S. quovis bihorio cochlearia duo, prægreſſa vitri concuſſione.

℞. Extr. taraxaci.
centaurii min.
Tartari ſolubilis ſingulor. unc. ſemis.
ſolve in
Aquæ deſt. pulegii unciis decem.
D. ad Vitrum S. quater de die cochlearia duo; vitrum ante uſum bene commovendum.

℞. Extr. mart. pomati unciam ſemis.
gentianæ.
trifolii fibrini ſingul. drachmas duas.
ſolve in
Vini mallagenſi unciis ſex.
D. ad Vitrum S. cochlearia duo hora ante prandium & cœnam.

℞. Extr. cort. caſcarillæ drachm. duas.
ſolve in
Aquæ menthæ cum vino unc. quatuor.
ſolutioni adde

Tinctura

Tincturæ martis c. vino malvatico & pom. aur. unciam unam.
Spiritus nitri dulcis drachm. unam.
M. D. ad Vitr. S. quovis bihorio cochlearia duo prægreſſa nova ſubactione.

℞. Camphoræ drachmas duas.
redig. in pulver. ope ſpirit. vini q. ſ. admiſcetur
Aceti vini deſtillati unciis decem.
D. ad Vitrum S. quovis trihorio cochlearia duo, prægreſſa vitri concuſſione.

℞. Salis tartari alcalini dr. duas.
ſatur. cum ſuffic. quantitate
Aceti vini opt.
in liquore ſalino diſſolve
Maſſ. pilul. Becheri.
Extr. cent. min. ſing. dr. unam.
adde ſolutioni.
Tinct. rhei aquoſæ.
Syr. de rhamno catharct. ſing. unc. unam.
Spiritus nitri dulcis dr. unam.
D. ad Vitr. S. cochlearia duo ter de die.



DE EMULSIONIBUS.

§. 78.

Emulſio ſive *Emulſum* eſt medicamentum internum, fluidum, oleoſo-aqueum, lactis colorem æmulans, ex ſeminibus cum aqua tritis & emulctis paratum. Improprie etiam nominantur emulſiones dum balſama nativa, gummi reſinæ, reſinæ, aliave pinguia proxenetæ interventu aqua permiſcentur. Hæ ſunt *emulſiones ſpuriæ*, illæ *veræ*.

§. 79.

Ad parandas emulſiones

1. nunquam aliud *menſtruum* in uſu eſt, quam aqueum v. c. aqua ſimplex, deſtillata, decoctum vel infuſum non coloratum.

2. *Materiem emulgendam* præbent, pro emulſione vera, nuclei atque ſemina, oleo unguinoſa gravida; pro emulſione ſpuria, olea expreſſa, reſinæ, gummi reſinæ, balſama.

3. ad emulſionem ſpuriam requiritur *acceſſorium* i. e. *ſuſpenſionem materiæ emulgendæ promovens*, quod proxenetæ vice fungitur & corpus ſaponaceum eſt v. c. vitellus ovi, ſaccharum, mucilago, ſapo, ſubſtantiæ ex quibus veræ emulſiones parantur.

4. Menſtruum & materies emulgenda, præcipue in compoſitione emulſionis veræ, debent eſſe grata, non rancida, atque additamenta non incongrua e. g. acida, ſyrupi colorati, extracta, eſſentiæ, tincturæ &c.

5. Menſtruum ſenſim ſenſimque materiæ emulgendæ addi, neque majori quantitate emulſio parari debet, quam quod nychthemeri ſpatio æger conſumat; facile enim emulſiones ſecedunt & aceſcunt. Hac ex ratione frigido loco quoque ſunt aſſervandæ.

§. 80.

Emulſiones veræ ſæpe domi parantur; & ægrotis pro potu ordinario, ad lubitum, exhibentur; ſpuriæ contra ſemper ex officinis petuntur.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Semin. quatuor frigid. maj.
papav. albi ſingulor. unciam unam.
Decocti hordei uncias duodecim.
f. l. a. emulſio. Colaturæ adde
Syrupi diacodii unciam unam ſemis.
Aquæ cinnamomi cum vino unc. ſemis.
D. ad Vitrum S. vaſculum quavis hora.

℞. Amygd. dulc. unciam unam.
amararum N°. quatuor.
f. c. Aq. fontanæ unciis ſedecim l. a. Emulſio in

colatura diſſolve
Pulveris gummi arabici unc. dimidiam.
ſacchari unc. unam.
D. ad Vitrum S. ad lubitum.

℞. Gummi ammoniaci el. drachmas duas.
Amygdal. dulc. rec. unciam ſemis.
terantur atque cum
Aquæ hyſſopi unciis octo.
f. emulſio ſpuria colaturæ adde
Syr. de ammoniaco unciam unam.
D. ad Vitrum S. quovis bihorio cochlearia duo, prægreſſa nova ſubactione.

℞. Reſinæ jalappæ grana duodecim.
Nucleor. pineæ drachm. ſemis.
Sacchari albi drachm. unam.
diu terantur atque cum
Aquæ fontanæ uncia una.
f. emulſio ſpuria D. ad Vitr. S. pro doſi.

℞. Terebinth. venetæ unciam ſemis.
Vitellum unius ovi.
Aquæ petroſelini uncias decem.
Syrupi cort. aurantior. unciam unam ſemis.
M. f. l. a. emulſio ſpuria D. abſque colatura ad Vitrum S. Sumat æger duo cochlearia quater de die, prægreſſa, ante uſum, concuſſione vitri.

℞. Olei amygdalar. dulc. unciam unam.
Vitellum unius ovi.

ſolve in

Aquæ menthæ unciis ſex.

Solutioni adde

Spiritus ſalis ammoniaci aniſati drachm. unam.

Syrupi diacodii unciam unam ſemis.

M. D. S. quavis hora cochlearia duo prægreſſa nova ſubactione.

℞. Olei amygd. dulc. unc. unam.

Salis tartari drachm. ſem.

Vitell. unius ovi.

ſolve in

Aq. menth. unciis quatuor.

Solutioni adde

Syr. cichor. c. rheo unc. unam ſemis.

D. ad Vitr. S. uti præcedens.

DE INFUSIONIBUS.

§. 81.

Infuſio ſive *Infuſum* eſt medicamentum internum. ex menſtruo liquore, materiæ idoneæ parte aliqua, citra coctionem, imbuto, conſtans.

§. 82.

Variat denominatio prouti menſtruum, vel ſolvenda, vel modus infuſionis variant. Si aqua ad infuſionem recipitur, *Infuſum* ſtricte ſic dictum; ſi vinum, *infuſum vinoſum* ſive *vinum medicatum*; ſi ſerum lactis, *ſerum lactis medicatum*; ſi ſpiritus vini, *eſſentia* vel *tinctura* nuncupatur; ſi aqua calida affunditur, *infuſum theiforme*; at *infuſum frigidum*, ſi frigida: Vinum, cui aromata fuere infuſa, ſaccharo edulcoratum vocatur *Claretum* vel *Vinum Hippocratis*, quia per manicam Hippocratis colatur.

§. 83.

Materies triplex eſt, *Menſtruum*, *Solvendum*, atque *Acceſſorium*.

Menſtruum ſive *Solvens* eſt aquoſum vel vinoſum, vel ex his duobus mixtum; ſpirituoſum rariſſime ex tempore præſcribitur.

Materiem ſolvendam ſive *Species* præbet, quidquid virtutem ſuam medicatam menſtruo

apto, ſine coctione, tradit; præſertim plantarum partes.

Acceſſorium eſt, quidquid prioribus vario fine additur atque adjuvantis aut corrigentis vices implet e. g. ſalia ad acuendum menſtruum ſub infuſione adduntur; ſpirituoſa aromatica, ſyrupi, poſt colaturam.

§. 84.

In præſcribendo infuſo neceſſe eſt,

1) ut naturam, tam ſolventis, quam ſolvendorum, & eorum inter ſe affinitatem, perſpectam habeamus:

   a) aquoſum menſtruum ſolvit gummata, mucilaginem, ſapones, olea eſſentialia quoad partem, & ſalia, exceptis aliquibus, quæ itaque ad infuſa non debent recipi v. c. cryſt. tartari, arcanum duplicatum.

   b) vinoſum easdem, quas aqua ſolvit, ſimul etiam reſinoſas plantarum partes quoad partem, atque

   c) ſpirituoſum in totum reſinoſas partes, & olea eſſentialia, extrahit.

2) ut texturam rei infundendæ i. e. ſpecierum cognitam habeamus; ſi tenuis, ſufficit infuſio frigida, vel calida per breve tempus, theæ ad inſtar, ſi firmior, majus temporis ſpatium & menſtruum calide adfuſum requirittur, ad interſtitia plantæ penetranda, viresque medicatas eliciendas.

3) ut vitentur, ſi fieri poſſit, odore vel ſapore ingrata; his enim melius convenit forma ſolida.

4) ut materiem ut plurimum duplo, triplo immo & quadruplo majore quantitate pro doſi exhibeamus, quam in ſubſtantia, ut vocant: prout nimirum virtus ejus per minus majusve volumen menſtrui eſt diffuſa, aut tota, vel ſaltem ex parte, adhibito menſtruo elici valet.

5) ut comminutionem materiæ infundendæ, quæ ſciſſione vel tuſione fit, jubeamus: facilitatur enim hoc modo extractio virium medicatarum.

6) ut res infundendæ ſive Species facile in menſtruum vires ſuas dimittant; ſi contrarium obtinet, decoctum inde debet parari.

7) ut quantitas infuſi aquoſi præſcribatur non major, quam quæ intra nychtemerum abſumitur; cum alias facile corrumpatur.

§. 85.

Menſtrui ad materiem infundendam proportio laxiſſima ſit: ſæpiſſime octupla, decupla, duodecupla, immo vigecupla; hæc hodiernis temporibus valde dilecta.

Præparatio infuſi non raro ægroto vel adſtantibus committitur, tunc præſcribuntur ſolummodo res infundendæ ſive ſpecies, atque

in ſignatura docetur modus infuſionis & doſis; id quod per ſubjuncta exempla patebit.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Radic. Ipecacuanhæ pulv. dr. dimidiam.
Aq. font. ferv. unc. duas.
ſtent per noctem, colaturam exhibe mane.
S. Sumat æger jejuno ventriculo pro doſi.

℞. Scillæ præparatæ.
Flaved. cort. aurant.
Radic. enulæ.
calami arom. ſingul. unciam ſemis.
inc. infund. cum Vini albi libris duabus, ſtent per viginti quatuor horas in digeſtione, colaturæ adde
Spiritus Mindereri.
Syr. cort. peruv. ſingulor. uncias duas.
M. D. S. quater de die cochlearia quatuor.

℞. Flaved. cort. aurant.
Terræ foliatæ tartari ſingul. uncias duas.
inc. infund. cum vini albi libra una cum dimidia, ſtent per aliquot dies loco frigido, tunc adde
Sacchari albi unciam unam.
Colatura D. ad Lagenam.
S. quovis trihorio vaſculum.

℞. Ciner. herbarum uncias quatuor.
Scillæ præparatæ.
Semin. dauci.

Rad. ireos florent. ſingulor. unc. ſemis.
inc. contuſa infund. cum vini albi libris duabus;
ſtent per viginti quatuor horas loco calido.
Colaturæ adde
Oxymellis colchici uncias duas.
Spiritus nitri dulcis drachmas duas.
D. ad Lagenam S. Sumat æger quovis bihorio cochleariа tria.

℞. Rad. rhei el.
cichorii.
Herbæ centaurii min. ſingulor. dr. duas.
Tartari ſolubilis drachmas ſex.
inc. infund. cum Aq. fervidæ unciis ſex, ſtent per aliquot horas, colaturæ adde
Syr. flor. perſicor. unciam unam.
Elæoſacch. cinnamomi drachm. unam.
D. ad Vitr. S. pro doſi.

℞. Herbæ trifol. fibr. uncias duas.
Aurantior. N°. tres.
Inc. infund. per noctem vaſe clauſo cum Aq. font. bullient. libris quatuor.
Colaturæ adde
Syr. antiſcorbutici unc. octo.
D. ad Lag. S. ter de die vitrum.

℞. Cort. peruv. rubr. el. groſſ. mod. contuſ. unc. unam.
Salis tartari dr. ſemis.
Aq. font. fervid. libr. unam & dimidiam.
Diger. per horas binas, vas ſubinde agitando.
Colaturæ adde

Syr. althææ unc. tres.
D. ad Lag. S. omni trihorio vaſculum.

℞. Radic. rubii tinctor.
gentianæ.
cichorii ſingulor. unciam unam.
rhei el.
Herbæ centaurii min. ſingulor. unciam ſemis.
Tartari ſolubilis unciam unam & ſemis.
inc. contuſ. infund. unciis ſedecim Aquæ fervidæ, poſt refrigerium adde
Vini albi uncias octo.
ſtent per noctem, mane colentur atque D. ad lagenam S. quater de die vaſculum.

℞. Spec. pectoralium offic. unciam unam.
Strobil. pini unciam ſemis.
Sem. fœniculi drachm. duas.
inc. contuſa infund. cum Aquæ fervidæ libris duabus, ſtent per aliquot horas, colatura D. S. quater de die vaſculum.

℞. Flor. roſarum ruberrim. unciam unam.
inc. irrorentur cum
Spiritus vitrioli acidi drachma una.
infund. Aq. bullientis unciis ſedecim, ſtent per aliquot horas, colaturæ adde
Syr. e roſis ſiccis uncias duas.
S. vaſculum quavis hora.

℞. Baccar. juniperi uncias duas.
Rad. ariſtoloch. rotundæ,
longæ.

Herbæ cent. min.
Salis tartari ſingulor. uncias ſemis.
Scillæ præpar. drachmas duas.
Conciſa, tuſa, miſta, infundantur cum vini albi libris tribus, ſtent per aliquot dies. Colatura D. ad Lag. S. Bibat æger vaſculum ter de die.

℞. Cort. peruv. el.
Rad. gentian.
Herb. trifol. fibr. ſingulor. uncias duas.
Sem. aniſi ſtell. unc. ſemis.
inc. contuſa infund. per aliquot dies in
Spirit. Vini gallic. libris tribus.
Colat. D. ad Lag. S. Eſſentia ſtomachica ad uſum futurum.

℞. Rad. raphan. ruſtic. rec. uncias. tres.
Herbæ rec. naſturtii aquatici.
cochleariæ.
acetoſæ ſingulor. unc. unam.
Vini albi libras quatuor.
inciſa, mixta, ſtent per aliquot dies. Colatura D. ad Lagenam S. vaſculum matutino & pomeridiano tempore.

* ℞. Rad. jalappæ.
ireos flor. ſingulorum unc. ſemis.
Caryophyllor. arom. drachm. unam.
inc. tuſa, miſta, infund. ſpiritus vini gallici unciis ſex, ſtent per aliquot dies loco calido. Colatura detur ad Vitrum S. ter de die cochlearia duo.

℞. Helmintochorti drachmas duas.
D. pro doſi. D. tales doſes numero quatuor ad chartas diſtinctas S. Species, quorum una pars cum tribus vaſculis aquæ bullientis theæ ad inſtar infundenda.

℞. Herbæ ſalviæ unciam unam.
inc. D. ad chartam S. ſexta pars totius pro aquæ bullientis libra una, theæ ad inſtar.

℞. Herbæ uvæ urſi.
violæ tricolor.
Summitat. herbæ millefolii ſingul. unc. unam.
inc. mixta f. Species S. pugillum pro libra aquæ bullientis, theæ ad inſtar.

℞. Cort. peruv. el. unciam unam.
Flav. cort. aurantior.
Rad. calami aromatici.
zedoariæ ſingulorum unc. ſemis.
inc. tuſa. F. Species D. ad chartam.
S. Species, cum libris tribus vini albi infundendæ, pro vino medicato.



DE DECOCTIS.

§. 86.

Decoctum, *Decoctio*, *Apozema* eſt medicamentum, fluidum, ſimile infuſo, ſed menſtruo liquore cum materie ſolvenda S. ſpeciebus ad ignem ebulliente paratum.

§. 87.

De quo notandum

1. ad decocta recipi, quæ firmioris ſunt texturæ, & vires ſuas medicatas non niſi per coctionem menſtruo tradunt.

2. pro menſtruo ſemper aquam adhiberi; &, ſi vinum ad reſinoſas partes extrahendas, addere animus ſit, expedit, peracta coctione, & decocto ab igne remoto illud adfundere, ut fiat hoc modo *Decocto-infuſum.*

3. fere idem obſervandum eſſe dum ſolvenda variæ ſunt texturæ; decoquuntur ea, quæ firmiorem habent texturam, peracta coctione infunduntur liquori ea, quæ vel tenuioris ſunt texturæ vel partibus volatilibus prædita. Patet hinc

4. tempus coctionis modo majus modo minus requiri, prout menſtruum citius aut tardius ſpecierum vires elicere poteſt.

5. vitanda eſſe, quorum vis coctione diſſipatur, ſed quum hæc ſemper tenuioris ſunt texturæ, hinc infuſa inde parantur e. g. plantæ aromaticæ, vinum &c.

6. talia ingredientia eligenda eſſe, quæ non nimis ſapori ingrata: inſerviunt enim decocta ſæpiſſime pro potu ordinario, vel ſaltem magna quantitate deglutiri debent.

7. quod glutinoſa atque mucilaginoſa ſub finem coctionis addi, vel in colatura diſſolvi debeant: ſub initio coctionis addita, impedirent menſtrui actionem in ſolvenda.

8. quod menſtruorum ſingulorum vis eadem ſit, quæ §. 84. deſcripta; intenſior ſaltem ob accedentem ebullitionis motum, qui, quamvis juvat, tamen teneriora ſæpe mutat, & quandoque juſto plura elicit, e. gr. radix liquiritiæ diu cocta amareſcit; ſennæ folia longiore coctione purgans exhibent tormina excitans; rheum vim laxantem amittit.

9. quantitatem tam menſtrui adfundendi, quam diſpendii per cocturam, in ſubſcriptione definiendam eſſe.

10. ea, quæ §. 84. ſub N°. 3. 4. 5. & §. 85. fuere dicta.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Cort. peruv. el. groſſ. modo contuſi unc. unam.
Aquæ fontanæ libras duas & ſemis.
coq. ad unciarum viginti remanentiam. Colaturæ adde
Syr. cort. aurant. unciam unam ſemis.
D. S. quovis bihorio vaſculum.

℞. Rad. bardanæ inc. unc. duas.
Tartari vitriol. dr. unam.
Aq. font. libras quatuor.
coq. ad libr. duarum rem. Colat. adde
Syr. antiſcorbutic. unc. tres.
D. ad Lag. S. quater de die vaſculum.

℞. Rad. graminis uncias duas.
Cryſtall. tartari unciam ſemis.
coq. c. Aq. font. libris tribus ad remanentiam librarum duarum, in colatura diſſolve
Tartari emetici granum unicum.
Pulpæ caſſiæ uncias duas.
adde
Spiritus nitri dulcis drachm. unam.
D. S. quavis hora vaſculum.

℞. Ligni guajaci raſp. uncias tres.
Aquæ fontanæ libras ſex.
coq. ad dimidiæ partis conſumtionem, ſub finem coctionis adde

Rad.

Rad. liquiritiæ dr. duas.
Colatura D. S. quater de die cyathum.

℞. Rhododendr. cryſ. dr. duas.
inc. coq. in
Aq. font. unciis ſedecim.
ad dimidiæ partis conſumtionem. Col. D. ad Vitrum
S. tribus vicibus matutino tempore ſumendum.

℞. Spec. pector. offic. unciam unam.
Rad. enulæ.
vincetoxici.
Tartari ſolubilis ſingulor. drachm. duas.
inc. coq. cum Aq. fontanæ libris duabus ad ſeſquilibræ remanentiam, ſub finem coctionis adjice
Fol. ſennæ ſine ſtip. unciam ſemis.
Mannæ calabrinæ uncias duas.
poſt unciam ebullitionem colentur atque colaturæ addatur
Elæoſacch. fœniculi drachm. duas.
D. S. quavis hora vaſculum.

℞. Cort Simaroubæ unciam ſemis.
inc. coq. cum Aq. font. libris duabus ad dimidiæ partis conſumtionem. Colaturæ adde
Syr. acetoſit. citri unciam unam.
Sp. nitri dulcis drachm. unam.
D. ad Vitr. S. vaſculum quovis bihorio.

℞. Herb. conſolid. ſaracen.
hyſſopi.
hederæ terreſtr. ſingul. unc. ſemis.

inc. coq. in
Aq. font. libris duabus.
per aliquot momenta. Colat. admiſce.
Pulv. gummi arabic. dr. duas.
Syr. balſamic. unc. duas.
D. ad Lagenam S. quovis bihorio vaſculum.

℞. Avenæ lotæ uncias duas.
Rad. cichorii inc. unciam ſemis.
coq. c. aq. font. libris ſex ad remanentiam librarum quatuor, in colatura diſſolve
Nitri dep. drachm. unam.
Mellis puri uncias duas.
D. S. pro potu ordinario.

℞. Stip. dulcamaræ unciam dimidiam.
inc. D. tales doſ. numero ſex. D. S. Pars una cum aquæ libris duabus ad dimidiæ partis conſumtionem coquenda, & matutino tempore bibenda.

℞. Rad. althææ.
graminis ſingulor. uncias tres.
liquiritiæ unciam unam.
inc. M. F. Species D. ad chart. S. Coquatur manipulum cum libris quatuor aquæ fontanæ per aliquot momenta, colatura ſumatur ad libitum.

℞. Rad. gramin. uncias duas.
Paſſular. minor. unciam unam.
Baccar. juniperi.
Cryſtall. tartari ſingulor. unciam ſemis.

inc. contuſ. M. f. Species. divid. in duas partes æquales D. S. Coquatur pars una cum libris tribus aquæ fontanæ per breve tempus, colatum inſerviat pro potu ordinario.

DE INJECTIONE.

§. 88.

Injectio vocatur quicunque liquor medicatus, in cava corporis, ſecundum vel præter naturam foras patentia, infundendus. Si ore faucibusve, ad varios uſus, continetur vel injicitur, vocatur *Diaclysma*, *collutio*, *gargarisma*; ſi per anum in inteſtina immittitur, *Clysma*, *Clyſter*, *Clyſterium*, *Enema*. *

* Hinc injectiones uterinæ parum commode vocantur a Germanis *Mutter-Clyſtiere*; quæ Gallis quoque audiunt *Injections dans la matrice.*

§. 89.

Materiem injectionis præbent infuſa, decocta, mixturarum prima & quarta ſpecies, atque emulſiones ſpuriæ.

Pro varia indicatione, vel ex cognita materiæ virtute medicata, conſiſtentia &c. eligitur formularum ſpecies adaptata.

In genere tamen notandum

1. in præſcribenda injectionis formula ſimplicem eſſe debere & poſſe; quum neque

coloris, ſaporis, odoris ratio habenda, neque corrigentium hic opus ſit.

2. acriora & corrodentia plane non adhibenda eſſe, ne, dum prodeſſe cupis, noceas.

3. pulveres vitandos eſſe; metus enim eſt, ne ſiphunculum obſtruant, aut loca ſenſilia ſcabritie incommodent, vel ſaltem, in ſiphone relicti, ad locum deſideratum non perveniant.

4. *doſin*, tam *generalem*, quam *ſpecialem*, variare pro ſcopo Medici, cavi magnitudine & natura, liquoris virtute medicata, injectionis repetitione &c. Sæpiſſime exundatio cavi, ſpeciali doſi terminum ponit.

5. in ſignatura modum applicationis definiendum eſſe: frigide, an tepide, an inſtrumento proprio, quantum, quoties & quousque injiciendus liquor ſit; quo ſitu æger eſſe debeat, ut vel facile admittat, vel dimittat, aut retineat injectum liquorem. Aſt quum ſumma opus ſit cautione, ne, neglectis his præceptis, præſertim injectione violentiori noceant, hinc chirurgo perito applicatio committenda.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Saponis veneti drachmam unam.
Gummi arabici pulv. drachmas duas.
Solv. in Aq. fontanæ unciis octo.
M. F. Injectio.

℞. Decocti hordei libr. unam.
Mellis roſacei unc. duas.
M. F. Injectio.

℞. Decoct. cort. peruv. libram unam.
Balſ. commendat. unc. ſemis.
Vitellum unius ovi.
M. l. artis. D. ad Vitrum S. pro injectione.

℞. Aquæ calcis vivæ uncias ſex.
Balſami peruv. nigri drachm. unam.
Vitellum unius ovi.
M. l. a. D. ad Vitrum. S. pro injectione.

℞. Cort. peruv. el. groſſ. m. contuſ. unciam unam.
coq. cum aq. fontanæ libris duabus ad dimidiæ partis conſumtionem. Colaturæ adde
Eſſentiæ myrrh. ſine alcali unciam ſemis.
M. D. ad Vitrum.

§. 90.

De *gargariſmate* in ſpecie notandum eſt, quod nauſeoſa vitari debeant, quia in ore ac faucibus per aliquot tempus detinere, huc illuc moveri ac agitari debet. Ad gargariſmata referendus eſt apophlegmatismus, id eſt medicamentum ad mucum vel ſalivam detergendum atque eliciendum.

§. 91.

Materiem apophlegmatiſmo præbent apophlegmatizantia, ex materie medica cognita.

appropriato menſtruo infuſa vel cocta. Radix pyrethri cum aqua decocta optime huc facit, ſine vel cum additione aceti. In delicatioribus radix pimpinellæ loco pyrethri adhibetur, atque decoctum melle edulcoratur.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Decocti hordei uncias decem.
Nitri depurati drachm. unam.
Syr. mororum uncias duas.
M. D. S. pro gargariſmate.

℞. Florum ſambuci unciam ſemis.
inc. ſtent per horam cum
Aquæ fontanæ fervidæ unciis duodecim.
Colaturæ adde
Spiritus vini gallici unciam unam.
ſalis ammoniaci vol. drachm. duas.
M. D. S. pro gargariſmate.

℞. Herbæ Agrimoniæ unciam ſemis.
inc. coq. cum
Aquæ fontanæ unciis ſedecim.
ad remanentiam libræ unius. Colaturæ adde
Mellis roſati unciam unam.
Nitri depurati drachm. unam.
M D. S. pro gargariſmate &c.

℞. Aquæ flor. ſambuci uncias decem.
Aceti ſcillitici uncias duas.

Salis ammoniaci dep. drachm. duas.
M. D. ad vitrum.

§. 92.

In præſcriptione *Clyſmatis*, *Injectionis inteſtinalis*, præter generalia §. 89, ſpecialia hæc obſervanda veniunt:

1. olea unguinoſa, vel cum decoctis mixta, vel pura, ad enemata non raro inſervire; atque
2. alia nauſeoſa, & certis ſub circumſtantiis acriora ad hanc injectionis ſpeciem recipi; & quidem
3. Purgantia dupla vel tripla quantitate doſis illius, quæ ore ſumitur, pro enemate præſcribenda eſſe; ſalibus uncia una ad duas; melle cochlearia duo ad quatuor. Idem lex eſto circa valentiora e. gr. tartarum emeticum, opium, ſi indicatio eorum uſum poſtulat.
4. in definienda *doſi generali*, quæ & ſimul *ſpecialis* eſſe debet, ſpectanda eſſe

a) *ætatem* e. gr. infanti recens nato duæ unciæ, provectiori tres vel quatuor, puero ſex, adulto octo uſque ad duodecim ſufficiunt.

b) *corporis conſtitutionem* v. c. minori copia infirmo, corpore juſto irritabiliore prædito, &c.

c) *ſcopum Medici*, v. c. minor, ſi clysma nutrire, retineri; major, ſi diluere, emollire, evacuare.

5. ſæpiſſime ſpecies pro enemate parando ex pharmacopolio peti, atque præparationem ipſam ægroto vel adſtantibus committi.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Herbæ mercurialis unciam unam.
coq. cum Aquæ fontanæ unciis ſedecim ad reman. unciarum decem, in colatura diſſolve
Electuarii catholic.
Salis catharctici ſingulorum unc. unam.
M. D. pro Enemate.

℞. Olei ſemin. lini uncias ſex.
Laud. liquid. Syd. drachmam ſemis.
M. D. pro clysmate.

℞. Spec. carmin. offic. unciam unam.
Herbæ nicotianæ unciam ſemis.
coq. per aliquot momenta cum Aq. fontanæ unciis decem. Colaturæ adde
Oxymellis ſcillitici uncias duas.
M. F. Enema.

℞. Terebinth. opt. unc. ſemis.
Vitellum unius ovi.
ſolv. in Aq. fontanæ tepidæ unciis octo adde
Olei olivarum uncias tres.
M. F. Enema.

℞ Infuſi flor. chamomill. unc. ſex.
Aſæ fœtidæ dr. unam.
Vitellum unius ovi.
Ol lini unciam unam.
Salis mirabilis Gl. unc. dimid.
M. l. a. D. S. pro enemate.

℞. Rad. arnicæ veræ
valerianæ.
Flor. arnicæ ſingul. unc. unam.
chamomillæ.
Herbæ menthæ ſingul. unc. duas.
Inc. M. F. Species D. ad chartam. S. Infundatur manipulus cum aquæ fervidæ unciis duodecim per horam, colatura inſerviat pro clysmate.

℞. Extr. opii aquoſi grana quatuor.
Pulveris caſtorei drachmam ſemis.
Sacchari albi drachmas duas.
M. F. pulv. D. ad chartam S. Miſceatur cum aquæ fontanæ tepidæ unciis decem & immittatur per anum.

℞. Electuar catholic. urciam unam.
Tartari emetici grana quatuor.
M. D. ad fictile S. uti præcedens pulvis.

DE SUCCIS EXPRESSIS.

§. 93.

Succus expreſſus eſt medicamentum internum, fluidum, ex plantis recentibus, foliis radicibusve, per inciſionem, contuſionem atque preſſionem, eductum.

§. 94.

In præſcribendis ſuccis obſervandum eſt

1. adhibendas eſſe ſuccoſas & recentes vegetantium partes, nequaquam denſas, ſiccas, lignoſas; ſed nulla ſemina, quia oleo magis, quam humore aquoſo ſcatent.

2. plantis recentibus, minus ſuccoſis, alias ſucco plenas, vel aquam addi debere, ut eorum ſuccus poſſit elici.

3. præſcribendos non eſſe ſuccos expreſſos, niſi ubi per anni tempus conquiri poſſunt plantæ i. e. vernali atque æſtivali tempore; adhuc minus ad ſucci præparationem plantas præſcribendas eſſe, quæ aliunde adferri debent, & non niſi ſiccæ ad nos pervenire poſſunt.

4. quavis die denuo recentem exprimendum ſuccum eſſe, præcipue, ſi ægro per ſubſidentiam depuratus propinatur.

5. Si vero pro delicatulis ſuccus, coctionis & albuminis ovi ope, clarificatus præſcribitur, tunc eandem quantitatem, quæ per aliquot dies ſuffectura ſit, parari poſſe: longiori enim hoc modo aptantur conſervationi, ſed ſemper cum diſpendio virtutis medicatæ.

Proportionem mutuam ingredientium, doſin, atque tempus, quouſque uſus continuari debeat, indicatio medicum docet.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Herbæ. rec. naſturtii aquatici partes duas.
cochleariæ.
acetoſæ ſingulor. partem unam.
inc. contuſ. exprim. prelo; ſuccus inde obtentus per ſubſidentiam atque colaturam defæcatur. Mittantur hujus ſucci quovis mane unciæ quatuor ad ægrum.

℞. Succi rec. expreſſi taraxici.
trifolii fibr.
fumariæ ſingul. unc. quatuor.
coquantur atque albumine ovi clarificentur. Colatura D. ad Vitr. S. Sumat æger tertiam partem quovis mane, ſuperbibendo juſculum carnis.

DE EPITHEMATIS FLUIDIS.

§. 95.

Epithema, *Fomentatio*, *Fomentum*, eſt medicamentum externum, liquidum, quod variis corporis partibus linteo vel panno laneo exceptum admovetur.

§. 96.

In præſcribendo epithemate notandum, quod

1. quæcunque fluida huc valeant, præſertim aqua ſimplex, aquæ deſtillatæ, lac, vinum, acetum, ſpiritus vini, infuſa atque decocta.

2. odore, ſapore, colore ingrata, modo viribus ſint prædita, admitti poſſint, ſine corrigentis additione.

3. Quum vero epithematis applicatione crebrius viſcerum ac partium profundius, ſub parte, cui immediate admovetur, ſitarum mutationem intendimus, hinc tenuia, volatilia, penetrantia eligenda eſſe, facile intelligitur.

4. in præſcriptione draſticorum, e. g. plantarum narcoticarum, ſaturninorum, mercurialium, rel. non obliviſcendum, ſuperficiem corporis omnem bibulam eſſe.

§. 97.

Doſis generalis variat, prout pars, cui adplicandum.

Proportio ingredientium *mutua* indicatione & virtute ingredientium cognita limitetur.

Linteum, vel panni lanei pro *vehiculo* ex uſu ſunt. Aliquibus veſica incluſum parti ſuperimponitur; diſſipatio liquoris hoc modo præpeditur, atque diutius calor ejus conſervatur, ſed partes nimis premendo non raro moleſtiam creat.

Præparatio ſæpiſſime ægroto, chirurgo vel adſtantibus committitur, tunc ex officina petuntur ſolummodo ſpecies atque in ſignatura modus præparationis ac applicationis jubetur.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Aquæ flor. Sambuci uncias decem.
Aceti roſarum uncias quatuor.
Salis ammoniaci unciam ſemis.
M. D. ad Vitr. S. pro epithemate, linteo quadruplicato frigide applicandum.

℞. Aquæ fl. ſambuci libram unam.
Spiritus vini camphorati uncias duas.
M. D. ad Vitr. S. linteo quadruplicato exceptum, tepide parti affectæ applicandum.

℞. Herbæ malvæ.
althææ ſingulor. unc. duas.
hyoſcyami.
Flor. chamomillæ aa. unciam unam.
inc. M. F. Species D. ad chartam.
S. Coquantur ex aquæ fontanæ libris ſex per quadrantem horæ, colatura bene imbutus pannus laneus, mox modice expreſſus, imponitur univerſo abdomini.

℞. Flor. roſar. ruberr.
lavendulæ.
Herbæ menthæ.
majoranæ.
ſalviæ ſingulorum unciam unam.
inc. M. F. Species D. ad ch. S. coquantur paululum cum vini rubri libris tribus, atque liquor colatus, cum panno laneo, calide admoveatur.

℞. Herbæ rutæ.
ſcordii.
abſynthii.
Florum ſambuci.
chamomillæ.
meliloti aa. unciam unam.
inc. M. F. Species D. ad ch. S. Coquantur, vaſe clauſo, per quadrantem horæ, ex aquæ fontanæ menſura, colatura inſerviat pro fomentatione; panni lanei pro vehiculo ſunto.

§. 98.

Collyrium eſt ſpecies epithematis; oculis ſuperimponitur. In ejus præſcriptione craſſa, aſpera, acria, vitanda, poſteriora ſaltem minima portione admiſcenda ſunt, propter ſenſilitatem atque irritabilitatem organi viſus.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Aquæ deſt. roſarum uncias quatuor.
Florum zinzi in ſubtiliſſ. poll. red. dr. unam ſemis.
M. D. ad Vitr. S. linteo quadruplicato exceptum applicatur frigide oculo inflammato, prævia vitri concuſſione.

℞. Aquæ fontanæ uncias ſex.
Vitrioli albi ſcrupulum unum.
M. D. ad Vitrum S. uti præcedens.

℞. Aquæ fœniculi uncias quatuor.
Spiritus vini camphor. drachmas duas.
M. D. S. pro collyrio.

§. 99.

Balneum quoque ad epithemata referendum eſt; quod, ſi fere omnem corporis ſuperficiem humor alluit, ſtricte ſic vocatur; at ſi partes ſingulas tantum, *inſeſſus*, *inſeſſio*, *ſemicupium*, *pediluvium*, pro variis locis, quæ humectantur, dicitur: ſi ad lavandum inſervire debet *lotio*, *lavatio*, audit, atque *em-*

broche, *ſtillicidium*, *irrigatio*, *inſtillatio*, quando humor ex alto, pulviæ inſtar, in membrum affectum labitur & deſtillat: *Balneum vaporoſum* nominatur, ſi liquoris vapores ad certum quendam locum determinantur.

§. 100.

Peculiaria in præſcribendo balneo notanda hæc ſunt:

1. Materies eſt aqua ſimplex, frigida vel calida, pro diverſo ſcilicet ſcopo varia; aut incoquuntur herbæ emollientes, aut infunduntur herbæ aromaticæ; aut ſolvuntur globuli martiales, ſapo venetus, hepar ſulphuris in aqua, prout indicatio poſtulat.
2. Balneum, ſtricte ſic dictum, cariora propter quantitatem, quæ requirebatur, non admittit; hinc ſæpiſſime abſque pharmacopœi opera parabile, nec formula egens.
3. Ad balneum vaporoſum ingredientia quorum virtus vapore attolli nequit, præſcribi non debent, e. g. adſtringentia, foſſilia, ſalia media, niſi ſint ammoniacalia, atque aliud corpus addideris, cujus ope alcali volatile liberaretur.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Radicis althææ.
Herbæ althææ.
malvæ.

Florum

Florum chamomillæ ſingulor. uncias quatuor. Inciſa D. ad chartam. S. Species, quæ laxe ſacculo lineo inſui, atque per quadrantem horæ aliquibus menſuris aquæ fontanæ coqui debent; liquori calido adjicitur aqua frigida ad teporem, atque inſideat æger huic balneo per ſemihoram, ſacculo ſuppoſito.

℞. Saponis veneti unc. ſemis.
Salis tartari dr. duas.
Olei juniperi unc. unam.
Aq. fontanæ libr. duas.
M. l. a. D. S. Lavamentum, quo pars œdematoſa, matutino & veſpertino tempore, calide, abluenda.

℞. Cortic. quercus groſſo modo contuſi libr. unam.
Florum chamomillæ uncias ſex.
Nitri uncias octo.
M. f. Species S. uti præcedentes.

℞. Rad. lapathi acuti.
enulæ ſingulorum unciam unam.
inc. coq. cum aquæ fontanæ libris tribus per quadrantem horæ. Colatura D. S. Inſerviat pro lavamento partibus ſcabie infectis.

℞. Herbæ hyſſopi.
Strobilorum pini ſingulor. unciam ſemis.
Seminis fœniculi drachmas duas.
inc. contuſ. M. F. Species D. ad chartam. S. Species, quibus aquæ bullientis libræ duæ adfundi

debent pro balneo vaporoſo; recipiat æger vaporem via reſpirationis.

℞. Herbæ menthæ.
abſynthii.
Flor. lavendulæ.
chamomillæ.
Bacc. lauri.
juniperi ſingul. unc. duas.
inc. cont. coq. c. Aquæ communis tribus menſuris vaſe clauſo per quadrantem horæ. Colaturæ admiſce.
Salis ammoniaci uncias quatuor.
Spiritus juniperi libram unam.
D. ad Lagenas S. liquor pro ſtillicidio, qui modice calefactus, apto vaſi immiſſus, de hujus cannula ex alto in partem paralyticam, denudatam, deſtillet: ſtillicidio per dimidiam horam continuato, æger in lectum calidum reponatur, parsque affecta cum pannis laneis, ſiccis, calidis fricetur &c.

℞. Herbæ cicutæ unc. unam.
coq. c. Aquæ fontanæ libris duabus per aliquot momenta. Colaturæ adde
Salis ammoniaci puri unc. ſemis.
Spiritus vini camphor. unc. unam.
D. ad Lagenam S. pro lotione partis adfectæ.

§. 101.

Ultima ſpecies epithematis eſt *cataplaſma* i. e. epithema molliuſculum, ſemifluidum

craſſiorem pultem referens, quod ſi ex plantis, coctura, diffiato ſuperfluo, humido paratur, *cataplaſma coctum* vocatur; ſi vero absque coctione pulveres cum liquore quodam in paſtam rediguntur, *cataplaſma crudum* *; atque manuum ſi carpis applicatur, *epicarpium* **; ſi fronti, *frontale*; ſi plantis pedum, *ſupplantale* vel *ſuppedaneum* audit. Cataplasmata cruda, quibus erucæ ſemen ingreditur, haud raro ſub *ſinapismorum* nomine veniunt.

* Cataplasmata cruda, ex contritis plantis recentibus, domi confecta, formula non indigent, hinc de illis hoc loco mentionem non fecimus.

** Quilibet perſpiciet, non quodvis epicarpium a nobis vocari cataplasma, v. c. linteum quadruplicatum liquore quodam medicato imbutum, carpisque applicatum, eſt quidem epicarpium, ſed non cataplasma.

§. 102.

In cataplasmatis cocti præſcriptione obſervandum

1. *excipienda*, *coquenda* eſſe plantarum varias partes, aut natura molles, aut quæ coctione emolliri poſſunt.

2. *excipientia* ſive *menſtrua* eſſe, aquam, lac, vinum, atque acetum; attamen duo poſteriora potius ad acceſſoria pertinent, id

quod de pinguibus v. c. oleo, butyro, quoque valet.

3. *acceſſoria* i. e. quæ coctione non egent, atque reliquis jam coctis addi ſolent, e. g. volatilia, ſpirituoſa, ſapo, crocus, vitelli ovorum &c.

4. inepta eſſe dura quæque, niſi prævia contuſione, maceratione, coctione emolliri queant.

5. difficulter reſolvenda v. c. reſinas, gummata, ſi admiſceri debeant, prius aceto vel ſpiritu vini eſſe ſolvenda, quam addantur.

6. Deinde fructus & bulbos ſemper aſſari ſub cineribus, ultimos quidem haud raro cum butyro; ut pulpam exhibeant molliorem & cataplasmatis conſiſtentiam induant.

7. quantitatem generalem pro dupla doſi ſufficientem præſcribendam eſſe, ut ablata una, alia portio ſtatim applicari poſſit.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Medullæ panis cibarii uncias octo.
Saponis veneti unciam unam.
Lactis quantitatem ſufficientem.
f. l. a. coquendo cataplaſma, cui admiſce
Pulveris croci drachm. ſemis.
D. S. tepide applicandum.

℞. Flor. ſambuci.
Herbæ cicutæ ſing. unc. duas.
hyoſcyami unc. unam.
f. pulv. groſſus; coq. c. ſ. q. lactis recentis ad conſiſtentiam cataplaſmatis, cui admiſce.
Olei lini uncias duas.
D. S. Admoveatur tepide lateri dolenti, atque tegatur apparatus cum linteo cerato, ne ægrotus vaporem pulmonibus hauriat.

* ℞. Farinæ ſeminum lini uncias quatuor.
Pulpæ ceparum ſub cineribus aſſatarum.
Gummi galbani ſingulor. unciam unam.
Vitellum unius ovi.
Ol. lilior. alborum q. ſ.
M. f. l. a. cataplasma D. ad oll.

℞. Pulveris groſſi rad. althææ.
flor. ſambuci.
chamomillæ.
herbæ malvæ.
ſemin. lini ſing. uncias duas.
coq. c. ſ. q. Aq. fontanæ ad conſiſtentiam pultiformem, ab igne remotis adde
Olei lini uncias tres.
F. Cataplaſma S. admoveatur tepidum parti dolenti.

* ℞. Pulveris groſſi herbæ cicutæ.
hyoſcyami aa. unc. duas.
coq. c. aq. font. ſ. quantitate ad conſiſtentiam pultiformem, ab igne remotis adde

Gummi ammoniaci in aceto ſoluti unc. unam.
M. D. S. admoveatur tepide mammis affectis.

§. 103.

Quod ad *cataplaſma crudum* attinet, obſervandum

1. adhiberi poſſe quoſcunque pulveres, atque ſubmollia, e. gr. mel, extracta, præſertim fermentum & micam panis, herbasque recentes, contuſas.

2. ſi pulveres præſcribuntur, liquore quodam opus eſſe v. c. aceto, vino, ut in paſtam poſſint redigi.

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Fermenti panis.
Pulv. ſem. erucæ ſingulor. uncias duas.
Salis gemmæ unciam ſemis.
Aceti ſcillitici quantitatem ſufficientem.
ut fiat Sinapiſmus. D. ad fictile S. Plantis pedum, linteis incluſus, applicandus.

℞. Micæ panis.
Pulv. ſemin. cumini ſingulor. uncias duas.
caryophyll. aromatic.
nuc. moſchat. ſingul. dr. unam.
Vini hiſpanici q. ſ.
f. l. a. paſta S. applicetur regioni ſtomachi.

* ℞. Theriacæ offic.
Mellis puri.
Butyri.
Fuliginis ſplendentis.
Salis ammoniaci ſingulor. unciam unam.
Sapon. veneti unc. duas.
Vitellorum ovi N°. tres.
M. l. a. f. Cataplasma D. ad oll. S. applicetur calefactum anthraci inflammato.

* ℞. Herbæ rec. rutæ uncias duas.
inc. ac contuſis adde
Mellis unciam unam.
Moſchi grana decem.
Camphoræ drachm. unam.
Aceti ſufficientem quantitatem.
ut f. paſta S. Epicarpium, linteis exceptum, ad carpos manuum pedumque plantas admoveatur.